


Sala
Gab.
Est.
Tab.
N.º

RB
11
26





RB


11

26

34611-1-6







HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ
SYNOPSIS.

S I V E

De Origine, & Progressu Philosophiæ :
De Vitis, Sectis, & Systematis
omnium Philosophorum

L I B R I I V.

JOHANNI V.

LUSITANIÆ REGI, &c.

DIGATTI

AB JOH. BAPTISTA CAPASSO

Phil. & Med. Doct. Neapolitano.





NEAPOLI,
Typis Felicis Muscæ, An. MDCCXXVIII.

SUPERIORUM CONCESSU.

*Quidquid de re bona dilucide dicitur , mibi præ-
clare dici videtur : istiusmodi autem res
dicere ornate velle , puerile est : plane au-
tem , & perspicue expedire posse , docti ,
& intelligentis viri .*

Cic. 3. de Fin.







Cyrillus inuenit Neapoli

Frenza sculp: Romæ sup: p:

JOHANNI V.

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE
LUSITANIAE REGI, &c.

CHRISTIANÆ FIDEI PROPAGATORI AUGUSTO
SCIENTIIS, ET VIRTUTIBUS INCLYTO
BONARUM ARTIUM, LITERARUMQUE OMNIUM
IN ALMO LUSITANIAE REGNO
REDUCTORI, ET REFORMATORI
LITERATORUM PATRONO GENEROSISSIMO
MEOCOENATI SUO OPTIME MERITO

JOH. BAPTISTA CAPASSUS
HISTORIAM PHILOSOPHIÆ
PERPETUUM GRATI ANIMI TESTEM
D. D. D.



UID Tibi, Rex Augu-
stissime, pro immortalibus
tuis in me, fratremque meum
P. Dominicum Capassum Soc. J.
tui Mathematici honore insignitum, beneficiis,

a 2

grati

grati animi, atque observantiae testem offerrem,
diu, multumque mecum cogitavi. Cum ecce
mihi in mentem venit, omnemque incerti ani-
mi solicitudinem abstulit, Platonis, præstan-
tissimi Philosophorum effatum illud, Optimam
esse Remp. in qua Philosophi regnent, vel Re-
ges philosophentur. Quapropter pergratum quid
me Tibi facturum duxi, si pro tot, tantisque
tuis in nos promeritis SERENISSIMUM BRASILIEN-
SIUM PRINCIPEM, Filium natu maximum, in
Philosophicis instituerem; ut ad Regnorum re-
gimen (quod serius contingat) omnibus, quæ
perfectissimum Regem deceant, virtutibus in-
structus valeat pervenire. Philosophiæ tamen
præcepta non ex unius Philosophi, sive ex ve-
teribus, sive ex recentioribus, fonte Sibi hau-
rienda existimavi, sed ex omnibus, ut quid-
quid boni, & rationi, Religionique consonum
in ipsorum singulis perpenderit, feligens, ex
omnibus Philosophiæ Systematis unum, opti-
mumque Sibi propositum habeat. Verum cum
duo ad optimum quemque Principem consti-
tuendum necessaria sint, Philosophia, quæ præ-
ceptis suis mores componat, ac sapientem effi-
ciat; Reges enim, & Principes non sunt ii,
qui sceptrra tenent, sed qui imperare sciunt:
& Historia, quæ virtute præstantium actiones

imi-

imitandas proponens, Prudentiam, quæ omni Principi, ut anima corpori, necessaria est, doceat; Historia enim si adsit, ex pueris facit senes; si absit, ex senibus pueros; operæ premium me facturum esse existimavi, si uno hoc Libro utrumque Optimo Principi, qui Tibi præ Regnis omnibus & naturæ lege, & præclaris suis moribus, carissimus est, præstarem. Hanc igitur Universalem Philosophiæ, & Philosophorum Historiam compendiariam, à me plurium annorum spatio, & labore non parvo ea tantum mente concinnatam, ut SERENISSIMO PRINCIPI, ceterisque Regiis Filiis, quantum mihi pro viribus licuit, erudiendis prodessem, oro, REX MAXIME, ut benignus accipias, ac futurum confido, ut sicut Lucius Lucullus, alios plurimos ut omittam, præstantissimus Imperator Historiarum lectione, & Philosophiæ præceptis factus est; ita præclarus tuus iste Princeps, tua cura, & solicitudine in optimis quibusque liberalibus artibus eruditus, per hanc Philosophiæ Historiam, quæ in tuo Nominе, à me semper plurimumque honorando, lucem videt, Tibique pro grata beneficiorum memoria sistitur, ac dicatur, in eum Regem evadat, quem omnes admirari possint, & imitari. Neque inficias ibo, Regium tuum optimumque Filium domesticum exemplum habere ad imitan-

dum:

dum: in Te enim uno Numæ Pompilii, secundi
Romanorum Regis, Pietatem, & Religionem,
ac penitus aversum ab omni bello animum, pacis,
tranquillitatisque amicissimum posset ediscere.
Enim vero eximum tuum, ac singularem ad no-
stram veram, Sanctam, Catholicamque Reli-
gionem propagandam amorem, quo præ ceteris
præclaris dotibus animus tuus, in hoc vere Re-
gius, decoratur, sæpius ostendisti. Testes sunt
magnifica Templa, à Te summis sumtibus erecta,
& splendidissime ornata; quorum unum, vel
alterum memorem: quod scil. Divo Antonio,
Thaumaturgo Lusitano, vulgo Patavino dicto,
ingenti mole, mirabilique architectura erexit,
selectissimo marmore ornatum preciosis donis cu-
mulasti, ac pro suscepta Prole dicasti, quod nulli
ex præcipuis in Europa secundum uno ore fatentur
omnes: & Patriarchale in Regia tua Ulyssiponensi
Aula extructum, amplissimo censu ditatum,
plurima, preciosaque sacra supellectili ornatum,
maximis, ac singularibus Pontificiis Privilegiis
insignitum, & undique tam mirum, ut non ultra
pia, Regalisque munificentia ascendere posse vi-
deatur. Sacri etiam Ritus, ac Cæmoniæ, quo-
rum Tu amantissimus, ut recte isthic administra-
rentur, ne dum à Summo nunc Regnante Ponti-
fice, tunc vero Beneventi Archiepiscopo Cardi-
nali

nali Ursino , expetisti , ut quales illic , ubi optime quam alibi , fierent , exscriptos ad Te mitten-
dos curaret ; verum etiam vel primum de illis
magistrum , qui Romæ degeret , accitum Ulyssi-
ponem adduxisti , & amplissimo stipendio dona-
tum isthic detines . Atqui non ultima eximiæ Pie-
tatis , Religionisque tuæ hæc laus est ; omnium
enim maximam eam duco , quod ad Christianam
Fidem longe lateque ad extremum usque Sinarum
Imperium propagandam , nec curis , nec labori-
bus , nec maximis etiam sumtibus pepercisti .
Quare , ut præclara tua alia ad id facta præte-
ream , non ita pridem nobilem virum tuo Nomi-
ne Legatum ad magnum Sinarum Imperatorem
misisti , ac insigne donum , quale & danti , &
accipienti par esset , Arma scilicet , Argentea Va-
sa , splendidissimas Vesteres , odorum Magmata ,
Telas Aureas , & ut verbo rem absolvam , uniu-
gena preciosa : quibus , & Legato duæ cohortes
nitido amictu , novemque Divini verbi Præco-
nes , ac nostræ in ea Regna Fidei reductores , ex
inclyta Soc. J. doctissimi , comites accesserunt .
Hæc autem omnia eo tantum consilio pie illacry-
mans mittere dixisti , ut his donis , ac legatione ,
Sancta Christi Fides in ea Regna , unde extorris
jam fuerat , gloriosa rediret , radicesque in eis
figeret validiores . Quam singularem in Christia-

nam

nam Religionem Pietatem à Joh. III. progenitore
Tuo, immortali memoria digno, una cum san-
guine in Te traductam fateor, cuius nomen, do-
ctrinam, & sanctimoniam fortitus es. Hic enim
anno 1540. Pauli III. Pont. Max. concessu Divum
Franciscum Xaverium cum Socio ad novas Indo-
rum gentes mittendum curavit, ut Christi Fide
imbuerentur. Altera etiam Numæ Regis præcla-
ra animi dos in Te, REX OPTIME, resfulget;
quod scil. ille belli osor acerrimus, Romanam
gentem pugnacissimam, bellique cupidissimam
ad pacem reflecteret, acceptumque Imperium
Religione, atque justitia gubernaret. Tuus enim
animus, quia liberalium artium studiis deditissi-
mus, quam pacis cupidus fit, vel tui dicant po-
puli, qui jure merito hoc semper de Te prædi-
cant:

Ducoro Tu nohis das lata per ocia vitam.
Quod si quandoque bellum, Te Regnante, tuis
armis suscepsum vidimus, hoc non nisi ad imma-
nem Turcarum gentem debellandam, ac Christi
Religionem fartam, tectamque servandam indi-
ctum fuit. Qua perfida hostium gente, tua potis-
simum classe, debellata, sumtu vero infinito,
Italiæ quies per Te parta est. In Te etiam uno,
nec ignoro, M. Antonini Philosophi, Lycurgi,
Solonis, M. Catonis majoris, Ciceronis, & his
fimi-

similium , doctrinam , justitiam , integritatemque
mirari posse SERENISSIMUM PRINCIPEM , aliosque
secum fratres , in hoc plurimum fortunatos , quod
tanto sint Genitore prognati . Ex Te ediscere po-
terunt Regiam Academiam Historiarum fovere :
cujus primam institutionem , quæ in Regnis aliis
ad hujus instar conditæ sunt , Tibi referunt ac-
ceptam . Ex Te denique eos , ut paucis me expe-
diam , liberales artes , Mathesin præcipue , quam
Tu summopere colis , tueri , & ad tuæ gentis uti-
litatem in tuis Regnis promovere ; nam

Te Regnante tuis redierunt Palladis artes :
literatos viros complecti ; & tandem omnes om-
nium Philosophorum , optimorumque Regum
virtutes habere posse , ultro quidem verum fa-
teor cum reliquis . Sed ut optima quæque reme-
dia continuo usu recepta , segnius insuetis in cor-
pus agere novimus ; ita pari ratione domesticum
quodque exemplum , nostris oculis jugiter obje-
ctum , minorem quandoque vim habere ad ani-
mum commovendum , quam quod rarum ex
aliis , non semel adnotavimus . Si vero domesti-
cis , atque continuis , aliena , & insueta acce-
dant exempla , fortiori stimulo animus ad virtu-
tem concitatur . Hinc perutile Tuis , REX IN-
CLYTE , me facturum existimavi , si scientias ,
virtutesque omnes , quas Ipsi in Te uno junctas

contemplantur , eas & in aliis , sparsim tamen ,
ac divisim , in hoc Libro legant extitisse . Sparsim
extitisse dixi ; nam

*- - - - quæ sparguntur in omnes ,
In Te mista fluunt ; & quæ divisa beatos
Efficiunt , collecta tenes - - - - Claud.*

Verum id unum præ aliis in Te omnes admiramur , quod cum Imperium tuum in quatuor Orbis plagas tam late pateat ; Sol enim

*Exoritur Regnis , occidit atque tuis ;
Tibi tamen , tot , ac tanta negocia sustinenti ,
Astronomicis observationibus , aliisque Mathe-
feos studiis vacandi ocium sit , ut totus in Regno-
rum regimine , & totus in Palladis artibus esse vi-
dearis . Jure igitur merito inclytum , & immorta-
le Nomen tuum*

Imperium , Famam terminat Oceano .
*Atqui ne tempus , Tibi vel in gravioribus nego-
ciis , vel in severioribus studiis insumendum , in
prolixa harum literarum lectione frustra teras ,
finem faciam iisdem plane verbis , quibus Stilico-
nis laudes exorsus est Claudianus :*

*Continuent Superi pleno sic vestra favore
Gaudia , successusq; novis successibus addant .*

*Sic Deus Opt. Max. Filiorum tuorum Connubia ,
felici omine inchoata , plurima Virili Prole red-
dat felicia : Dies super dies Regis adjiciat , &
annos*

*annos ejus usque in diem generationis, & gene-
rationis. Tandem Te, REX GENEROSISSIME,
oro, obtestorque, ut pro gratiis, quas Tibi pa-
res nec referre, nec agere ego, fraterque meus
possimus, hoc Historiæ Philosophiæ munus,
specie quidem tenuissimum, sed grati animi, no-
stræque in Te observantiæ omni ævo testem fu-
turum locupletissimum, Regia, qua soles, hu-
manitate accipias; ac nos, nostrosque in po-
tentissimum patrocinium tuum peramanter ad-
sciscas.*

Neapoli Parthenopes 8. Kal. Aprilis 1728.

J O H A N N I V.
L U S I T A N I A E R E G I
Potenti, Magnanimo, Pio, Felici.

Quæ tibi non olim licuit tentare *Vetus*tas;
Quo staret nomen tempus in omne tuum!
Molibus impositas, agesis, juvet addere moles,
Quas mirata ætas cernat, & obstupeat.
Nec Rhodii parcant operique auvoque, Colossum
Immanis nomen consecret ut patriæ.
Mausolo exurgat post ultima fata sepulcrum,
Ulla dies ævo ne memori eximeret.
Attollas non ante unquam conspecta theatra
Unius impensa, *Scaure superbe, tua.*
Quo tandem tanto miracula reddita sumtu?
Aggestæve adeo quid potuistis opes?
Ultra non equidem quam fœtilis una lucerna
Aut Stoici, aut Cynici pallia Diogenis.
Hem qui non oboli unius domini, tibi Mida
Insultantque opibus, Cræse beate, tuis.
At Tu, quem colit & Tellus, atque inclyta ab ortu
Solis ad Hesperium fama cubile canit;
Miratusque tuis longe stupet Indus uterque
Parere infanum classibus Oceanum:
Et quibus in terris populos non atra tegebat
Tartareo pressos tristia colla jugo;
Æthereum affulsiſſe jubar lœtantur, & Orco
Erepti jajam triste onus excutient.
Hinc Tibi lœta fides merito gratulatur, & optat
Terras imperio quaque patere tuo.
Tu quoque posthabitatis opibus, Regnoque potenti,
Quæsis satis, atque super, Rex generose, nites;
Indulges sophiæ studiis, & moribus aquis,
Parta quibus sceptro gloria magna tuo est.
Cur tua miremur posthac florentia Regna,
Quæ complexa sinu Pallas amica fovet?
Et quos Sancta Themis stabili cum pace revincit,
Cur non quisque tuis invideat populis?
Ut rediſſe Orbis jam sentiat Antoninos,
Nec priscos nobis deesse patres patriæ.
In Te igitur nostri stat maxima gloria Secli,
Quodque futura canant, quodque imitentur, habent.

LECTORI PHILOSOPHO.



Aucis quidem, Benevole Lector, Philosophicæ Historiæ historiam enarrabo, ne longa, inutili-
que Præfatione, te ad Libri lectionem properan-
tem in ipso limine intempestivus videar remorari.
Cum viginti ab hinc annis Philosophicas Institu-
tiones bīc Neapoli studiosos juvenes docerem;
æquum mibi visum fuit, Proœmii loco quædam
de Origine, & Progressu Philosophicæ, clarioribusque Philosophis, In-
stitutionum initio præfigere. Quapropter quotquot in celebrioribus
nostræ urbis Bibliothecis, maxima præcipue Vallettiana exstabant,
libros de Philosophicæ Historia tractantes legi, sperans, me in ipsorum
aliquo perfectam, omnibusque numeris absolutam Historiam inven-
turum; eam scilicet, quæ ab Origine initium sumens, per varias
Mundi gentes, atates, & sectas, Philosophicæ progressum, & Philosopho-
rum ad nostra usque tempora Systemata demonstraret. Sed cum omnes
spem fallerent; quidam enim de Origine pauca delibabant, alii de
Barbarica Philosophia, vel de ejus parte aliqua, tractabant, plurimi
denique de Græcanica prolixius agebant; cumque, neque ex Magnis
Lexicis Historicis, neque ex familiaribus eruditorum colloquiis ali-
quem noverim, qui secundum banc ideam Historiam Philosophicæ con-
ficerit; Tractatum ipse concinnavi, in quo secundum prædictum
ordinem, omnibus adbuc intentatum, Philosophicæ Historiae veluti
embryonem tradidi discipulis. Hunc autem imperfectum (non enim
ultra Græcos erat) relinquere coëgit tum mea infirma corporis vale-
tudo, tum doctissimi Thomæ Stanley edita, Anglica tamen lingua, Hi-
storia Philosophicæ; verebar enim, ne secundum eandem ideam ipse
suam Historiam contexciisset. Sed ut ipsam latine jam ab eruditissi-
mo Job. Clerico versam statim babere curavi, Stanlejum (sicut &
alios, qui speciosum hunc Historiæ Philosophicæ titulum libris suis
præfigunt) non Universalem, sed Particularem Philosophicæ His-
toriam, de Græcis scilicet tantum, prolixæ tamen, & erudite nimis
tractantem vidi, additis in calce quibusdam de Chaldaeorum, Perfa-
rum, & Sabæorum Philosophia, & Philosophis; quibus speciosissime
Joh. Clerici Notæ, & Index Philologicus accesserunt. Quare imper-
fectum Opus statim perficere decrevi. Hoc igitur meum qualecum-
que Opus antea mancum, nunc vero quinque annorum spatio, & non
cur-

curta librorum supellecili expletum , & tuo usui , ut potui , elaboratum , benignius accipe , Amice Lector . Si autem non satis , quod volui , si*n* a*ffec*utus ; voluntas interea egregiam laudem meretur . *Em*im vero ut mibi summa effent omnia , ut Ciceronis phras iutar , temporis tamen vix satis habui ad Opus tam grande innumerorum pene librorum , longi , quietique temporis , sanæ mentis , firmæque corporis valetudinis indigum , absolutissime , ut par erat , perficiendum . Sed

Ut desint vires , tamen est laudanda voluntas.

Ovid. 3. de Pont. Eleg. 4.

Si quis igitur feliciori , ὡς λόγος ēst , ovo natus omnia simul bæc à Cælo dona nactus sit , quod incompletum meum est , compleat : mea enim mens ea tantum in bujus Historiæ elaboratione fuit , ut doctioribus ideam tantum perfecti Operis , quod adbuc in literaria Republica non exstat , indicarem . Atque bac quidem de causa Synopsis , sive Compendii verbum inscriptioni addidi , ut quidquid ad absolutissimam bujus Historiæ perfectionem desit , supplere quis valeat . Atqui si ad me bæc omnia præfatum , proptereaque benignius respiciendum , Zoile quisquis es , non commoveris ; sed conviciari ulterius , & proscindere , pergis , scias , te & facillimam Provinciam suscepisse ,

Nam facilis cuivis rigidi censura cachinni , atque illud porro agere , quod voluptati est pluribus . Quia in re , quod ad me attinet , nihil est quod tibi opportunius reponam , quam ut te cum pluribus relinquam .

E M I N E N T I S S. S I G N O R E

IL Dottor Fisico Giambattista Capassi supplicando espone à V. E. come desidera dare alle stampe una sua Opera intitolata *Historia & Philosophia Synopsis*. Intanto priega V.E. degnarsi di commetterne la revisione à chi meglio le parerà, e l'averà dall'E.V. à gratia ut Deus.

R. D. Joseph Buonocore Praelector Philosophie in Seminario Archiepiscopali videat, & in scriptis referat. Neap. 3. Januarii 1728.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

E M I N E N T I S S. E T R E V E R E N D I S S. D O M I N E

IN legenda hac jussu E. T. *Historia & Philosophia Synopsi* quantopere delectatus sim, nemo ignorare potest, quicumque scit, non modo quam sit jucundissimum Originem nosse ejus præ cæteris eximiae disciplinæ, a quibus videlicet primum exculta, quibusque profecta initiis ad nostra usque tempora paulatim creverit, sed facta etiam dictaque memoranda omnium, qui à mundi primordiis hactenus in ea floruerunt, Sapientum, quorum certe cœtibus atque Academiis veluti interesse videbar, audire Sermonem, Virtutes intueri, tanta nempe solertia diligentiaque colligta, tantaque elegantia, nitore & gratia ab auctore eruditissimo & sapientissimo conscripta est. Nihil autem in ea offendit, quod vel Catholicæ Religioni, vel bonis moribus esset adversum; quin potius multa tum Veterum, tum Recentiorum egregia facta, sententias, responsa, digna profecto quæ & memoria teneant omnes, atque imitentur. Cum igitur non mediocrem ex hujus dignissimi Operis lectione utilitatem capere possint, e re publica futurum censeo, si typis edatur, ubi tamen ita quoque E. T. visum fuerit. Neapoli ex ædibus Seminarti xv. Kalendas Majas. MDCCXXVIII.

*Addictiss. atque Obsequentiiss. Servus
Joseph Buonocore.*

Attentæ supradicta relatione Imprimatur. Neap. 20. Aprilis 1728.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.
EMI-

EMINENTISS. SIGNORE

IL Dottor Fisico Giambattista Capassi supplicando espone à V. E. come desidera dare alle stampe una sua Opera intitolata *Historiae Philosophiae Synopsis*. Intanto priega V. E. degnarsi di commetterne la revisione à chi meglio le parerà, e l'averà dall'E.V. à gratia ut Deus.

*Dom. Nicolaus Cyrus Primarius Medicinae Professor Regius videat,
& in scriptis referat.*

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. VENTURA REG.

Provisum per S. Em. Neap. 9. Aprilis 1728.

Mastellonus.

EMINENTISS. DOMINE

EMinentiæ Tuæ imperio obtemperaturus, intentissimè legi *Historiae Philosophiae Synopsism* à Cl. V. Jo: Baptista Capasso conscriptam, atque in eâ tantum abest ut quid occurrit, quod Regiæ Jurisdictioni adversaretur, ut potius quæ ex quamplurimorum tum veterum tum recentiorum Autorum monumentis diligentissimè excerptis, atque in breve veluti Encheiridion contraxit, talia reputem, ut tot tantorumque Philosophorum exemplis propositis, omnium animi ad eam scientiam comparandam totidem igniculis accendi facile possint, quod, nî fallax Platonis sententia, ad Reipublicæ beatitudinem quammaxime facturum confido. Librum igitur, ad publicam comnioditatem & sapientiam comparatum, publicâ luce publicoque encomio dignissimum censeo, si tamen ad meum judicium Tua gravissima accefferit autoritas. Neapoli, Nonis Aprilis, MDCCXXVIII.

*Addictiſ. & Obsequentiſ. Famulus
Nicolaus Cyrus Professor Regius.*

Visa supradicta relatione Imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. VENTURA REG.

Provisum per S. Em. Neap. 5. Aprilis 1728.

Mastellonus.
HISTO-



HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYNOPSIS.

S I V E

*De Origine, & Progressu Philosophiae: De Vitis, Sectis,
& Systematis omnium Philosophorum.*

PROÆMIVM.



Philosophia, cuius bono, ut Plato in Tim. ait, nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi Deorum concessu, atque munere, neque dabitur; quamque Macrobius post Aristotelem Artēm Artium, & Scientiam Scientiarum, & alibi idem Aristoteles Scientiam virtutis, & Cic. Virtutum Principem, appellavit; ut ab origine ad nostra usque tempora pervenerit, Historica Synopsi pertractare, ne dum omnibus perutile, sed & necessarium semper esse existimavi.

Fateor quidem, Philosophiæ Historiam complures scripsisse; sed qui de ipsa opus omnibus numeris absolutum confecerit, inveni profectò neminem. Plures quidem de Philosophiæ Origine, & Inventoribus agunt: complures Philosophorum Vitas, & Systemata exponunt: quamplurimi denique Philosophorum Sectas considerant; sed nemo profectò (quantum mihi id curiosius indaganti innotescere potuit) adhuc est, qui à Philosophiæ Origine initium sumens, ejus Progressum per varias Philosophorum Sectas; & denique quicquid ad nos usque de ea actum, vel dictum sit, methodice demonstraverit. Magnum igitur operæ pretium me facturum esse existimavi, si quicquid hac de re à quamplurimis Historicis sparsim dictum inveni, uno hoc brevi quidem, sed perquam utili Tractatu cunctis ob oculos ponerem. Quem Historicum Philosophiæ Tractatum in quatuor libros dividere placuit, in quorum primo Philosophiæ Definitionem, & Divisionem; Philosophiæ, ejusque Nominis Originem, & Finem, & ea, quæ ad ipsum conducunt; & qui primi Sapientes habiti sint, explicabimus. In secundo de Philosophia Barbarorum, ejusque Sectis agemus. In tertio Græcanicam Philosophiam, Græcorumque Philosophorum Vitas, & Sectas considerabimus. In quarto denique Recentiorum omnium Philosophorum Systemata, & novam philosophandi rationem ostendemus.

A

L I.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ

LIBER I.

De Ortu Philosophiae, & de Primis Sapientibus:

ANtequam Historicum hunc Philosophiæ Tractatum aggrediamur, scendum vel in ipso limine est, quid illud sit, quod pertractandum suscipimus; quot ejus partes; quis finis, & similia. Quamobrem de his primum nobis agendum est.

C A P U T I.

De Philosophiae Definitione, & Divisione.

PHilosophia multifariam à Philosophis definita est. Pythag. eam ab universali subjecto vocavit Γνῶσιν τῶν ὄντων, ἢ ὄντα εἶν, Cognitionem entium, quæ entia sunt. Et alibi: Γνῶσιν θεάντε, κατὰ αὐθεωπίνων πραγμάτων, κατὰ τῶν δὲ τάτοις διτιῶν, Cognitionem Divinarum, humanarumque rerum, & caussarum, quæ in ipsis sunt. Quam definitionem sequitur etiam Cic. 2. de Offic. Alias etiam ab ultimo fine à Pythagora, quem Socrates, & Plato secutus est, definitur: Οὐαλεῖς τῷ Θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν αὐθεωπίην, Assimilatio Deo, quatenus homini possibile est. Hinc Seneca Ep. 48. ait: *Hoc est, quod mibi Philosophia promittit, ut parem Deo faciat.* Sed hic Philosophiæ finis potius, quam definitio est.

Platoni definitur, quod sit Οὐεξὶς τῆς θεᾶς σοφίας Appetitus Divinæ Sapientiæ. In Phæd. tamen ait pag. 378. Philosophiam esse Μελέτην τῆς θανάτου, Meditationem mortis: Ejus verba sunt: *Quicunque Philosophiam recte tractant, videntur latuisse ceteros homines, quod nibil aliud sic commentarentur, quam mortis. Nonne maxime appareat, Philosophum præter ceteros homines animum, quammaxime potest, à commercio corporis separare?* Hanc verò definitionem ex Pythagora Platonem hausisse præter Porphyrium in vita Pythagoræ Divus Hieron. quoque contra Rufin. testatur his verbis: *Primus Pythagoras dixit, Philosophiam Meditationem esse mortis, quotidie de carcere corporis educere nitentem animæ libertatem.* Hoc quoque eleganter expressit Apulejus lib. de Philosophia inquiens: *Philosophum oportet nibil sic agere, quam ut semper studeat animam à corporis consortio separare: & ideo existimandum, Philosophiam esse corporis affectionem, consuetudinemque moriendi.* Et Cic. l. i. Tuscul. Disput. hoc idem confirmat his verbis: *Tota enim Philosophorum vita commentatio mortis est.* Et paulò post: *Quare hoc commentemur, mibi crede, disjungamusque nos à corporibus, hoc est, consuecamus mori.*

Per mortem autem non naturalem intellige, sed voluntariam, seu, ut Psel. Ius ait: θάνατον δὲ τὸν νέκρωσιν τῶν παθῶν ἐκλυπτέον, mortem autem mortificationem affectuum accipendam. Perperam igitur Platonem intellexit Cleombrotus Ambaciota, qui lecto ipsius de Anima tractatu, se de alto muro præcipitem dedit; de quo Callimachus jucundè nimis lusit hoc Epigrammate, quod legitur apud Euripid.

Εἶτας Ηὔλιε Χαῖρε, Κλεόμβροτος Λύμβραχιώτης

Ηὔλατ' αἱρ' ύψηλῆ τάχεος εἰς Αἴδην.

Δέξιον ώδέν οἶδεν θανάτου κακόν, αἷλα Πλάτωνος

Ἐν, τὸ περὶ φυχῆς, γράμμι ἀναλεξάμενος.

*Dictum ubi, Phœbe valeto, Cleombrotus Ambraciota
Ad Ditem ex alto pariete desiliit.
Non in morte malum cernens quid, sed quia lecta
Una ipſi de Anima charta Platonis erat.*

Clem. Alex. Pædag. I. i. Philosophiam ipsam definiunt: Studium rectæ rationis. Et Strom. I. Est Philosophia quidem exercitatio; Sapientia autem Scientia divinarum, & humanarum rerum, ipsarumque cauſarum. Et paullò post Philosophiam exponit per inquisitionem veritatis, & naturæ eorum omnium, quæ sunt. Et 2. Strom. ita: Philosophia est ejus, quod vere est, appetitio, & earum, quæ ad id tendunt, disciplinarum. S. Justinus adv. Judæos p. 3. Philosophiam definit: Philosophia ejus, quod est, scientia, & veri cognitio est. Ex quibus deducunt aliqui, Philosophiam esse desiderium, & appetitum sapientiæ; ut Sophia sit habitus mentis, Philosophia voluntatis. Sed hæc voces promiscue usurpantur.

Nos verò cum Cic. Senec. Clem. aliisque Philosophiam definimus, esse Cognitionem omnium rerum per cauſas, quatenus homo eas naturæ lumine consequit potest. Et quidem rectius; veri namque Philosophi illud est, ut eorum omnium, quæ sunt, vel facta sunt, cauſas, philosophicamque rationem redere satis sit.

Philosophiæ partes Homerus omnium primus duas agnovit, Physicam scil., seu eam, quæ Deum, & quæ à Deo fiunt, considerat; & Ethicam, seu illam, quæ tractat de iis, quæ ab hominibus non efficiuntur, sed aguntur, hoc est, res homini contingentes. Idque vel ex hoc Homeri loco Iliad. 3. vers. 127. veteres Critici arguunt, in quo Pallas, seu Sapientia Diomedi omnem caliginem, quæ mortales hebetat visus, ita abstergit, ut Deos, & homines noscat, dicens:

A'χλιῳ δ' ἀντὶ τοι ἀπὸ ὁφθαλμῶν ἔλον, οὐ ποὺν ἐπῆνεν,
Οὐφρ' εὐ γνώσκεις οὐ μὲν Θεὸν, οὐδὲ καὶ ἄνθρακα.

Caliginem verò tibi ab oculis abstuli, quæ prius inerat,
Ut bene dignoscas tūm Deum, tūm etiam homines.

Et Marius Victorinus I. i. Rhet. Cic. idem sentire videtur, dum ait: Plena Philosophia est, quæ constat ex duabus, Physica, & Ethica. Physica est, quæ de divinis, Ethica, quæ de humanis agit, in quarum prima Metaphysica, in secunda Politica etiam continetur.

Apulejus Philosophiam dividit in Intellectualem, Naturalem, Rationalem, & Moralem, sive in Metaphysicam, Physicam, Logicam, & Ethicam; in quibus omnibus Platonem excelluisse dicit; sic enim lib. de Dogmate Platonis: Naturalem ab Heracliticis, Intellectualem à Pythagoricis, Rationalem, atque Moralem ab ipso Socratis fonte, &c.

Macrobius I. 2. in Somnium Scip. sic ait: Cum sint totius Philosophiae tres partes, Moralis, Rationalis, & Naturalis. Ubi videtur nomine Naturalis Physicam simul, & Metaphysicam intellexisse; nam mox subdit: Naturalis, quæ de Divinis corporibus disputat. Idem cum Seneca Stoici omnes sentire videntur. Neque mirum, quod Macrobius Naturalem Philosophiam de Divinis corporibus disputare dixerit; nam non solum Aristoteles 10. Met. 6. & alibi, Metaphysicam Θεολογικὴν Επιστήμην, Theologicam Scientiam appellavit; sed Physicam quoque appellatam fuisse Theogiam testatur Divus Aug. 8. de Civ. Dei c. 1. Veteres enim putabant, Naturam nihil aliud esse, quam Deum; qui alio etiam nomine Mundus, & Πᾶν appellatus est. Et Basil. res naturales eleganter vocat Πανθεῖον τῆς Θεογνωσίας, καὶ φυχῶν λογικῶν διδασκαλῶν, Scholam cognitionis Dei, & animarum rationalium Cathedram. Et Clem. Alex. in suo Protreptico:

Philosophia autem, ut dicunt veteres, est diuturnum Sapientiæ consilium, quod æternum ambit amorem.

Salomon tandem, qui à Divino Spiritu Sapientiam accepit, tres tantum Philosophiæ partes agnovit, Moralem, Naturalem, & Contemplativam; quarum primam per proverbia, secundam per Ecclesiasten, tertiam per Canticum Canticorum tractavit.

Sunt & hæc partes in plures adhuc divisæ, ut in Physicam Speculativam, sub qua Mathesis, & Medicina continentur; & in Practicam, quæ Agriculturam, Chirurgiam, &c. complectitur. Sed nos de his parum solliciti, ut potè de iis, quæ non sunt hujus loci; communem Philosophiæ divisionem retinentes, illam in Physicam, quæ Naturalia, in Metaphysicam, quæ Transnaturalia, vel Naturalia in abstracto considerat, & Ethicam, quæ hominum mores componit, dividimus, sub qua Politicam contentam consideramus.

C A P U T I I.

De Philosophiæ Etymo, Origine, & Fine.

Cuncti jam norunt, Philosophiam ἀπὸ τῆς φίλων, καὶ σοφία dictam esse: unde idem sonat, ac Amor, Studium, & Appetitus Sapientiæ. Hinc Cic. 1. de Leg. ait: *Philosophia dicta est ab amore, quo cuncti eam prosequuntur.* Ex Laërt. aliisque habemus, primum Pythagoram Sapientiam Philosophiam appellasse, quam nos deinde Sapientiæ Amorem diximus; seque, ut aliorum fastum, arrogantiamque confunderet, qui Sophi, & Sophistæ, hoc est, Sapientes dici affectabant, Philosophum, seu Sapientiæ studiosum dixisse, cuius occasionem hanc resert Cic. 5. Tuscul. inquiens: *Pythagoram Philiuntē venisse ferunt, eumque cum Leonte Principe Phliasiorum doctē, & copiosē differuisse quædam; cuius ingenium, & eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæfuisse ex eo, qua maxime arte consideret: at illum, artem se quidem scire nullam, sed esse Philosophum;* hoc est, Sapientiæ Amatorem, vel, ut Lactant. interpretatur, quæsitorem; quod Sapientis nomen soli Deo conveniret. Idem confirmat cit. Laërt. qui addit, Philosophiam ante Pythagoram Σοφίαν, hoc est, Sapientiam dictam esse.

Hoc etiam confirmatur ex eo, quod Laërt. præ cæteris narrat de aureo illo Tripode, quod cum Oraculum jussisset, Sapientum præcipuo tradendum, Thales oblatum sibi remisit ad alium, & ille rursus ad alium, donec in se reversus Thales consecravit Didymæo Apollini, Sapientis nomen soli Deo tribuens.

Philosophia, qua, ut Cic. 2. de Leg. inquit, nihil à Diis immortalibus uberioris, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est, omnium scientiarum antiquissimam, omnes testati sunt. Ipsam tamen ex Admiratione ortam Plato, & Aristoteles dixerunt. Et primus quidem in Theæteto ait. Μάλα φιλοσόφος τέτο τὸ πάθος τὸ θαυμαζεῖν. Οὐ γάρ ἀλλη ἡ ἀρχὴ Φιλοσοφίας, ἡ αὕτη. Valde Philosophi illa affectio est admirari. Non enim alia Origo est Philosophiæ, quam ista. Secundus vero 11. Metaphysics 2. inquit. Διὸ τὸ θαυμαζεῖν οἱ ἀνθρώποι νῦν, καὶ τὸ πεῖστον ἡρξαντο φιλοσοφεῖν. Propter Admirationem homines & nunc, & olim philosophari cœperunt. Ex quibus appositi nimis Cic. 1. de Nat. Deor. inquit. *Magno argumento esse debet, causam, id est principium Philosophiæ esse Insentiam.* Galenus in Hist. Philos. ait. Xenocrates ideo repartam Philosophiam afferit,

asserit, quia cum turbulenta sit activa vita, se ad contemplationis studium prudentes homines contulerunt.

Enim verò cùm Deus rerum omnium caussas jam sciat, muta verò animantia nec sciant, nec scire possint; homo medius inter Deum, & bestias constitutus & nescit, & scire cupit. Quod autem homo naturaliter scire appetat, clarissime nobis ostendit Cic. 2. de Fin. ubi ait: *Sic ad intelligendum natus est homo, quasi mortalis Deus, &c.* Et Quintil. 1. Instit. Orat. 1. *Sicut aves ad volandum, equi ad cursum, ad sevitem feræ gignuntur; ita nobis propria est mentis agitatio, atque solertia, unde origo animi cœlestis creditur.* Aristoteles 1. Rhet. c. de Jucundit. ait: *Discendo venitur ad eum statum, qui animo nostro est naturalis.* Hoc autem clarius ex Laetantio Firm. de Falsa Sapientia l. 3. c. 6. habetur, ubi: *Alii putaverunt sciri posse omnia: hi sapientes utique non fuerunt. Alii nihil: ne hi quidem sapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt, hi quia minus: utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo Sapientia est?* Ut neque te omnia scire putas, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est scientia cum ignorantia conjuncta, & temperata. Scientia in nobis ex anima est, quæ oritur à Cœlo; ignoratio à corpore, quod est è terra. Unde nobis cum Deo, & animalibus est aliqua communitas.

Ex Admiratione igitur, quæ nihil aliud est, quam *Animi in rem propositam intuitio cum cupiditate cognoscendi caussam*, homines in mirabilem naturæ effectuum caussis inveniendis animum defixerunt; & prima quidem in facilitioribus, deinde verò paullatim ad difficiliora contenderunt. Quare multi praesentis vitæ felicitatem in caussarum cognitione ponentes, solos felices dixerunt, qui eò non admirantur, quòd rerum omnium caussas jam didicerint. Sic Horat.

*Nil admirari prope res est una Numici,
Solaque, quæ possit facere, & servare beatum.*

Et Virg.

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.

Hinc Plutarchus 1. περὶ τὸ Αὐθαυμαστὸν de Auditu refert, Pythagoram finem Philosophiæ Athaumasiam statuisse. Sic enim de ipso ibi loquitur: Εὔπειρος μὲν γάρ εἰς Φιλοσοφίας ἐφοτεν περιγεγονέν τὸ μηδὲν θαυμαῖσαν. Οὐ γάρ φιλόσοφος λόγος, τὸ μὲν εἴς αἴτοιας, τῷ δύναται θαῦμα εἶχαι, γνῶσα, τῷ ἵσος τῆς περὶ ἔκαστου αἵτιας; Is enim id se lucrā Philosophia retulisse dixit, ut nihil admiraretur. Nam Philosophica ratio admirationem, atque stuporem ab hæsitatione, atque ignoratione profectum eximit, singularum rerum cognitione, atque enarratione per caussas suas exhibita. Atque hæc Origo Philosophiæ, sive Originis caussa fuit.

Ut autem Athaumasiam hanc facilius adsequamur, primo opus est non mensibus, sed annis, iisque compluribus. Quod enim à Præceptoribus traditur Philosophiæ compendium, non integer Philosophiæ cursus est, sed potius Elementa, quibus ad Philosophiæ studia facilius quis possit accedere. Et jure quidem Chio Platonis auditor urgentibus suis, ne nimium vellet in Philosophia ad discenda occupari, respondit, minimum sibi decennio opus esse, priusquam absolvat. Aristoteles Platonem 20. annos audivit: Theophrastus, Eudemus, atque alii Peripatetici Aristotelem annis minimum 12. audivere: Zeno Stoicæ sectæ conditor, & Epicurus annis 18. Philosophiæ operam dedere: Amelius Plotinum audivit annis 24. ut Porphyrius ait in vita Plotini; adeò operosum Philosophiæ studium est.

Secundò opus est, ut ad Philosophiæ institutionem bonus dux obtingat, qui scil. spinosis, & inutilibus quæstionibus auditorem non remoretur. Solemnis & hodiè, & olim tricis istis peccandi mos. Cujus notæ Philosophos Lucianus

in

in Hermotimo irridet, inquiens: Πάντες, ὡς ἔπος εἴραν, περὶ ὅντος σκιᾶς μάχονται φιλοσοφῶντες, omnes, ut dici solet, de umbra aīni contendunt Philosophi.

Tertio, ut auditor Philosophiæ Aristotelem, Platonem, aliosque Philosophos intelligat, græcè sciat opus est propter multa in iis non tam conversa, quām perversa: cum enim in latino sermone sēpē nulla sit vox, quæ appositè græcam exprimat, ad græcum fontem recurrentum est. Quod & S. Thomas Aquinas monet in l.1. de Cœlo lect. 11.

Quartò, quod optimis disciplinis instructiores, & veritatis amore flagrantes magis erimus, eò citius, & facilius Philosophiæ cursum peragemus. Hinc jure quidem optimo Lactantius l.3. c.25. ait: *Multis artibus opus est, ut ad Philosophiam possit accedi.*

Non autem putetis velim, Philosophiam nonnisi ab altioris mentis viris addisci posse; nam omnibus vel infimæ notæ philosophandum. Hinc optimè Clem. Alex. 4. Strom. *Est ergo philosophandum omnibus, mulieribus æque, ac viris.* Et paullò post: *Philosophatur servus, & mulier.* Quin etiam Epicurus scribens ad Menæceum, referente eodem Alexandrino ibidem, pulchre nimis ait, omne tempus, & ætatem ad philosophandum esse accommodata. Ejus verba sunt: *Nec si sit aliquis juvenis differat philosophari, neque si sit senex defatigetur philosophando; nam nec est aliquis immaturus, neque nimis proiectæ, & exhaustæ ætatis ad adipiscendam animi sanitatem.* Qui autem dicit, non dum esse, vel præteriisse tempus philosophandi, similis est ei, qui dicit, ad beatitudinem vel non dum adesse tempus, vel præteriisse. Quare juniori philosophandum est, & seni: *hūic quidem, ut senescens juvenescat bonis per gratiam eorum, quæ facta fuerint; illi autem, ut sit simul juvenis, & senex per futurorum metus vacuitatem.*

Philosophiæ verò Finem Pythagoras, Socrates, Plato, Seneca, aliique dixerunt, esse Οὐσίωσιν τῷ Θεῷ, Assimilationem Deo; & alibi idem Plato, & Cic. Meditationem mortis, seu Segregationem à corpore, affectuumque mortificationem, ut supra dictum est; vel, ut idem Cic. 1. de Leg. *Ut homo per Philosophiam cultum Deorum, & veram religionem suscipere.* S. Justinus adv. Judæos p. 3. Philosophiæ Finem Vitæ Beatitudinem posuit, dum ait de ipsa loquens. *Beata autem vita hujus scientiæ, ac sapientiæ est præmium.*

C A P U T III.

De Philosophiæ Inventoribus, seu de Primis Sapientibus.

INgenuè quidem fateor, nihil apud Historicos controversum magis esse, quām Philosophiæ Inventores. Quæque enim gens suos jactat, quibus inventionis gloriam tribuat, primosque Sapientes appellat. Et Babylonii quidem, & Assyrii Chaldæos: Persæ Magos, quorum primum Zoroastren fuisse memorant: Indi Gymnosophistas: Celtæ, seu Galli Druidas: Phœnices Ochum: Thraces Zamolxin, & Orpheum: Libyci Atlantem: Ægyptii Vulcanum Nili filium, Philosophiæ faciunt Inventores. Et

Hoc certant alii, sed adhuc sub judice lis est.

In hoc tamen omnes ferè Historicci convenient, Philosophiam à Barbaris initium sumfisse, etsi inter ipsos non constet, quis eorum primus fuerit. Sed de his fusiùs infra.

Laërtius verò non Barbaros, sed Græcos Philosophiæ Inventores facit, dum inquit: *Itaque Philosophia non à Barbaris, sed à Græcis initium sumfit, cuius*

cujus & ipsum nomen barbaram omnino abhorret appellationem. Et quidem Musæum Athenensem Eumolpi filium Deorum Generationem omnium primo tradidisse, sphæram invenisse, atque ex uno fieri, & in unum resolvi omnia dixisse, afferunt: Linum verò Thebanum Mundi Generationem primum scripsisse, ferunt; cui tale initium fecit:

H̄νποτέ τοι χρόνος ἔτος, εἰν φάμε πάντας ἀπεφύγει.

Tempus erat, quo cuncta simul sunt condita quondam.

Nemo quidem est, qui ignoret, Græcos omnium primos dictos esse Sapientes, inter quos præcipue septem illi fuere, Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, & Pittacus; quibus plerique adnumerant Anacharsim Scytham, Mysonem Cheneum, Pherecydem Syrum, Epimenidem Cretensem, & Pisistratum Tyrannum. De quibus sic Cic. 5. Tusc. Itaque & illos septem, qui à Græcis Σοφοί, Sapientes à nostris & habebantur, & nominabantur; & multis ante saeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus quoque fuisse ante hanc Urbem Conditam, traditur; etiam heroicis ætatibus Ulyssem, & Nestorem accepimus, & fuisse, & habitos esse Sapientes.

Nobis verò, qui ex Fide vivimus, id certo certius constat, Adam sicut & primum Parentem, ita & primum Sapientem extitisse. Hinc Suidas ex quodam antiquo inquit: *Adam jure optimo primus Sophus, sive Sapiens dict potest, &c.* Et paullò post: *Hic enim est, qui inuenit singula, & omnibus canones, & regulas, finesque, ultra quos non transirent, adaptavit. Hujus sunt Artes, & Literæ, hujus Scientiæ Rationales, & non Rationales.* Ipsí enim Deus, Sapientiæ Fons, & Origo, in ipsa sui creatione Sapientiam indidit, quam ipse deinde filios suos docuit. Idque vel ex hoc manifestum esse potest, quod nomina rebus imposuerit, quod, ut Plato ait, proprium Sapientis est. Idem quoque innuit Pythagoras, dum ait: Μή μόνον λογιστατον, αλλα καὶ πρετερότατον νησθαι τὰς σοφῶν τὰ δέκατα τοῖς πρεσβύταις, Non solum disertissimum, sed antiquissimum sapientum putari eum, qui posuit nomina rebus; Ex Clem. Alex. in Epitome τῶν Θεοδότου. Non enim casu, & ad placitum, ut ajunt, sed per se significantia nomina rebus imposuit: sic enim tantum Sapientem decebat, qui Deum ipsum & Creatorem habuerat, & Præceptorem. Imo Bochardus, aliisque clare demonstrant, Hebraica animalium nomina (qua lingua Adamum locutum fuisse, omnes Sacræ Scripturæ Interpretes cum August. testantur) eorum naturam, & proprietates exprimere. Adam igitur primus Sapiens, deinde verò ejus filii, Hebræi scilicet illi Veteris Testamenti Patriarchæ, & Prophetæ, & Doctores ante omnes nationes veri Sapientes & habendi, & dicendi sunt. Sed quis Philosophiæ ab Adamo ortæ, per Adami filios usque ad Abraham Progressus fuerit, videamus.

C A P U T IV.

De Philosophiæ ab Adam usque ad Abraham Progressu.

QUAMVIS Adam per peccatum Dei Gratiam, & Caritatem amisisset; non tamen scientias, quas à Deo acceperat: peccatum enim ex sui natura plus voluntati, quam intellectui officit, ut patet in omnibus, qui per peccatum Gratiam quidem, & Caritatem, scientias verò, quas notas habent, non amittunt. Adam igitur post peccatum plura de siderum scientia, aliisque rebus filios suos docuit; quæ ut facilius ad posteros suos transirent, ejus Nepotes in duabus columnis, lapidea una, lateritia altera inscriperunt; quarum lapideam suis

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ

suis adhuc temporibus in Syria superfuisse , Josephus de Nepotibus Seth 1. Antiqu. 5. scribit , dicens : *Sideralem scientiam , ac Cœlestium rerum cognitionem excogitaverunt . Ne autem inventa sua ex hominum notitia dilaberentur , & prius perirent , quam prænoscerentur , scientes , Adamum universalem rerum interitum præcecinisse , unum incendio , diluvio alterum , excitatis duabus columnis , utrique sua inventa inscripserunt , &c.*

Inter hos Adami Nepotes primum sibi vendicat locum Enoch , ab Adamo per lineam Seth septimus , Noë verò proavus , qui libros composuit , in quibus , ut cit. Joseph tradit , quicquid de Astronomia à majoribus acceperat , vel ipse invenerat , scripsit , quæ præter Tertullianum Origenes quoque Homil. 28. in Num. memorat , dicens : *De quibus quidem nominibus (stellarum) plurima in libellis , qui appellantur Enoch , secreta , & arcana continentur ; sed libelli illi non videntur apud Hebræos in autoritate haberri . Apostolus etiam Judas in Epist. Canonica verba quædam citat Prophetiæ Enoch de die Judicii universalis , quæ sunt : Prophetavit etiam & de his septimus ab Adam Enoch , dicens : Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes . De Enoch ita Sulp. Sever. Hist. Sacr. I. 1. Jared Enoch genuit , qui ob iustitiam translatus à Deo traditur . Et Samaritanus : Accepit eum Angelus ejus . Onkelos : Non occidit eum Dominus ; idest , non passus est mori . Jonathan : Sublatus fuit , & adscendit in Cœlum ex mandato coram Domino . Arabs ad Hebræos . Translatus est in Paradisum . Josephus denique : Ανεχθέντε πρὸς τὸν Θεόν . De hujus libris quæstio est inter autores . Augustinus de C. D. I. 15. c. 21. ait , ex duobus Enochii libris , olim circumlatis , unum apocryphum plane , & fabulosum ; alterum eum fuisse , quem Judas Apost. citat , & quem Judæi approbantes olim legebant . Hunc fabulæ Græcorum Αννακόν , Annacum indigitarunt .*

Fuere quoque nonnulli ex descendantibus ex Cain , qui Philosophi nomen meruere ; quorum multi quidem in pascendis ovibus , & colendis agris , plures verò in Mechanicis artibus inveniendis operam navabant , quæ Præctica Physicæ pars est . Nam Cain , ut Moses in Gen. ait , ædificavit Civitatem ; Jabel fuit pater habitantium in tentoriis , atque pastorum ; Jubal fuit pater canentium in citbara , & organo ; Tubalcaïn fuit malleator in cuncta opera æris , & ferri .

Deinde anno Mundi 1656. perditò jam per Diluvium , quod annum unum & dies decem duravit , omni hominum , & animantium genere , Noë Dei jussu ex Arca , quam spatio centum annorum extruxerat , una cum inclusis filiis , & animantibus exiens , Terram inhabitavit , quæ iterum per ipsum hominibus , & animalibus omnibus repleta est . Noë igitur novi orbis veluti pater extitit : quare oportebat , ut Deus eandem illi Sapientiam impertiretur , quam olim Adæ in prima Mundi Creatione tradiderat . Vixit Noë post Diluvium annos 350. ut Scientias , & Artes , quas secum in Arca servaverat , posteros suos docere potuisset .

Hinc Noë à quamplurimis Paganorum habitus est pro Saturno , hoc est pro Deorum primo , & Sapientissimo , & à profanis , novi Mundi Génésim , ignorantibus , Cœlum , Janus , & Deorum Pater appellatus est . Hic est Poëtarum Deucalion , & Ogyges ; & Persarum *Adam Assani* , secundus *Adam* . Et Janus fortasse dictus est , quod primus Vinum , quod Hebraice Jain dicitur , invenerit : Sunt tamen , qui asserunt , Noë non esse vini repertorem , quod jam ante diluvium vini usus , & viticultura , quæ agriculturæ pars est , extiterit . Hic plantas terræ restituit ex seminibus , vel tenellis plantis , quas in Arca servaverat . Primus terram cum animalibus aravit . Mechanicas artes à Cain inventas , & Mathematicas disciplinas ab Adamo , Seth , ejusque successoribus

exco-

excogitatas, filios suos docuit. Navigationis usum, & instrumentum, præcep-
tore Deo, hominibus monstravit: unde ejus posteri, duce Japhet Noë filio,
facile deinde mari se commiserunt, occidentalesque insulas repleverunt. Leges
filiis suis tradidit, quibus nascens Mundus multiplicari potuisset; præsertim
verò legem Conjugii renovavit: legem dixit contra occisores: carnium, &
pi-
scium esum antea intentatum concessit, excepit tamen animalium sanguinem,
& carnes suffocati, vel morticini, à quibus sanguis effusus non erat: quam dein-
de legem Moses quoque confirmavit.

Tandem ex Arca exiens, in Assyria, Arabia, & tota Ægypto Gymna-
sia celeberrima instituit, quibus & ipse, & filii ejus Scientias, & Artes omnes
postoris suis propagarunt, ac per Mundum disseminarunt. Annos demum na-
tus 940. missis sortibus, filiis suis Orbem distribuit, cujus divisioni supervixit
annos decem, & mortuus est.

Noë successerunt tres ejus filii Japhet, Sem, & Cham, quorum ultimus,
quia Patrem ebrium, & denudatum simul cum Chanaan ejus filio irriserat, &
ut Doctores Hebræi scribunt, referente Levi in Gen. c. 9. testiculos Patri ex-
secuerat, à Patre maledictionibus oneratus una cum posteris suis, & fratribus
dominio subjectus, Babyloniam, & Ægyptum habitavit. Itaque Cham (cujus
etiam profani sub nomine Camesis meminere) quia paterna benedictione desti-
tutus, non parvam plagam posteritati suæ attulit: nam ex ipso descendentes
Ægyptii nigri, & deformes, Mauri nigri, & simi nati sunt. Certissimum
enim est, originem nigredinis non à regione, ut haec tenus creditum est, ob solis
ardorem, sed à stirpe, & sanguine Chus, procedentis à Chanaan, oriri. Nota
hīc ex Gen. c. 9. tantum constare, à Noë maledictione affectum fuisse Chanaan
ejus Nepotem, non Cham ejus filium; unde ajunt, reliquos tres filios Cham,
Chus, Mesraim, & Phuth, ejusque posteros servitutis pœnam non incurrisse,
sed tantum Chananæos, qui soli ab Israëlitis vel penitus extinti, vel in alie-
nas terras ejecti.

Japhet primus Noë filius, ab Hesiodo, aliisque Poëtis Japetus appellatus,
exemplo Arcæ à Patre constructæ, naves primus formavit, & audacter se mari
commisit, unde *Audax Japeti genus dictum est*. Hic Græciam, Mediterra-
neasque Provincias à Patre obtinuit, quas ipse cum filiis suis sequentibus sæcu-
lis Gymnasiis illustravit, ex quibus Sapientia in Europam omnem, Septen-
trionemque derivavit. Hinc non immerito Europæorum, & Septentrionalium
Pater appellatur. Etsi autem filii Japhet initio pauciores fuerint reliquis genti-
bus; deinde tamen vi paternæ benedictionis, *Dilatet Dominus Japhet*, hoc est:
ejus sobolem, numero omnes superarunt: unde ex Septentrione in Asiam,
Africam, & omnes Orbis partes effusi sunt, & sic etiam filiis Sem, secundum
quod Pater prædixerat, commisti.

Sem cognomento, ut omnes fere Hebræi volunt, Melchisedech, tertius
Noë filius, dignitate autem primus, quia ex eo pii homines geniti sunt, qui
in Dei cognitione permanerunt; ex fratribus verò suis ii sunt procreati, qui se
ad falsa numina converterunt. Sem, & Japhet pallium humeris imponentes, &
retrorsum incedentes, Patris nuditatem, & virilia, quibus Cham, & Chanaan
illudebant, operuerunt. Hinc Noë à vino evigilans, cum didicisset, quæ fe-
cerat ei filius suus minor, & quod filii sui Sem, & Japhet aversis faciebus in-
cedentes, ne ejus verenda viderent, ipsum operuissent, benedixit utrique dicens:
Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus: Dilatet Deus Japhet,
& habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. Filii Sem habita-
verunt Asiam.

Dum verò anno Diluvii 131. Mundi verò 1788. erat terra, ut Moses Gen.

c. 11. ait, *labii unius, & sermonum eorundem*, Noë Nepotes Civitatem, & Turrim Babel ædificarunt, invicem dicentes: *Venite faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras*; sive, ut Genebrardus interpretatur, quæ non posset posthac ullo Diluvio perire. Deus verò cum vidisset hoc, dixit: *Confundamus ibi lingua eorum, ut non audit unusquisque linguam proximi sui.* Civitas igitur, & Turris simul nomen acceperunt à confusione linguarum. Babel enim, quasi Balbel, idest σύγχυσις, confusio, redditur. Atque ita divisit eos Dominus in universas terras, atque cessaverunt ædificare Turrim. Ex una igitur lingua Hebræa omnium matre, & Mundo coæva, 70. linguae, ut Hebræis placet, factæ sunt.

C A P U T V.

De Abraham, ejusque Philosophia, aliisque usque ad Mosen.

Abraham, à quo tertia Mundi ætas incipit, ex Thare, quem statuarium fuisse tradunt Rabbini, per lineam Sem nascitur in Ur Chaldæorum anno Mundi 1950. Ur autem Urbs, seu Regio juxta 70. dicitur ab ignis cultu. Chaldaeï enim, Assyrii, & Persæ ignem colebant, ut notat præ cæteris Selenus de Dîs Sýris; atque hinc Zoroastres, Zarates, Zaradust dictus est, ut notat Salmasius. Nomen loco huic Ur mansit usque ad Ammiani ævum, quem vide l. 25. Sed Judæi Ur Chaldæorum pro Igne accipiunt, & de vivicomburio Haranis mira narrant, ut notat Hornius. Tarich Regum Persæ tradit, Chaldæos Abrahamum in Ur, sive Orfa comburere voluisse, quod Deum suum adoraret. Idem prolixius Rambam ex monumentis, & Annalibus Zabæorum in More Nebuchim 3. Ab Eusebio Ur Chaldæorum Camarina dicitur à Chaldæorum Philosophorum nomine. Hic, qui Pater Credentium, & Fidei nostræ initium audit, quia ex ipso oriunda erat benedicta Progenies multiplicanda tanquam arena maris, ob quam appellatus est Abraham, hoc est, Pater multorum populorum, ante enim dicebatur Abram, ut habemus Gen. 17. hic, inquam, vixit tempore confusione linguarum; ipse tamen cum tota sua familia in lingua Heber permanxit. Huet. tamen Demonstr. Evangel. t. 2. p. 244. & 245. Hebraicam linguam non ab Heber, sed ab Abrahamo nomen accepisse putat, quem nonnullis hujus linguae inventorem creditum refert; quia scilicet linguam hanc primus posteris suis tradidit, cum aliam à majoribus accepisset: Abraham enim Chaldaeus cum esset, Chaldaea lingua primum usus, Hebraicam à Chananeis didicit, posterisque tradidit, ut notant Scaliger, Vossius, Grotius, & Seldens.

Joseph 3. Antiqu. c. 8. de Abrahami tempore, & virtutibus hæc Berosi verba citat: *Post Diluvium verò decima ætate erat quidam justitia cultor, Vis Sapientis, & fiducialis scientias peritus.* Et Divus Ambrosius l. 1. de Abraham. c. 1. &c 2. ait, Sacram Scripturam in unius Abrahami persona melius, quam Plato Princeps Græcorum Sapientum, qualis optima Respublica esse debeat, non qualis unquam extiterit; & Xenophon in ficta Cyri vita, non qualis hic Princeps fuerit, sed qualis sapientissimus, & undique perfectus Princeps esse debeat, demonstraverit; in uno, inquam, Abraham non fictum, sed verum optimi, sapientissimique Philosophi exemplar ostendere.

Et de

Et de ipso quidem per divinum magisterium edocto hæc subdit: *Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia non potuit æquare. Denique minus est, quod illa finxit, quam quod ille gessit, &c.* Cujus rei hanc subdit rationem: *Hoc autem, quod pro magno inter septem sapientum dicta celebratur, Æw. dñs, Deum sequi, perfecit Abramam, factoque Sapientum dicta prævenit, & secutus Deum exivit de Terra sua.* Et quidem nonne veri Philosophi character est, quod Abraham primo Dei jussu Bona, Parentes, & Patriam relinquens, Ægyptum petierit? Quod solus, & perpetuus Dei cultor una cum tota sua familia semper extiterit, aras Deo erigens, & sacra offerens in terra aliena? Quod nihil bonorum possidens in sola spe divinæ promissionis semper vixerit? Quod eò obedientiæ devenerit, ut Filium suum Deo immolare non dubitaverit?

Sed, ne longum faciam, à summo moralium virtutum hujus sapientissimi Justorum Patris, ipsiusque Messiae Progenitoris, ad Physicas, & Mathematicas ejus disciplinas gradum facio. Et quidem Astrologiam, & Chaldaicam, ut Eusebius apud Eupolemum ait, *invenisse fertur*. Rudis enim ante Abraham Astrorum scientia apud Chaldæos, & Babylonios erat. Hanc tamen scientiam, quam soli Abrahamo acceptam Babylonii referre debent, quadringenta septuaginta millia annorum à majoribus traditam possedit Babylonii jacent; quos ideo stultitiae, vanitatis, aut imprudentiae Cic. l. i. & 2. de Divin. condemnat. Verum tamen est, ut ex Cic. ibidem educitur, Chaldæos primos Astrologiæ fuisse inventores, ut Ægyptii Geometriæ autores habiti sunt, & Phœnices Arithmeticae, cuius etiam lineas ab eodem Patriarcha in Palæstinam profecto acceperant. Philon etiam lib. de Nobilit. affirmit, quod Primus Pater Judæorum Chaldæus erat natione, patre prognatus siderali scientiæ dedito, uno ex eis, qui circa Matheismus versarentur. Imo & primus Matheeos apud Chaldæos praceptor quibusdam habitus est. Quod Josephus etiam confirmat, qui ex Berofo ostendit, Abrahcum Ægyptiis Numerorum, & Siderum scientiam tradidisse. Instituit enim Sacerdotes Heliopolitanos, referente Alexandro Polyhistore apud Euseb. 9. ἡπτ. c. 4. & 10. 2. Et per hanc quidem scientiam pervenisse Abrahum ad investigationem Dei, scribit Philo Judæus. Nam ex cœlis, atque elementis, & ex sempiternis motibus, ex ordine invariabili, ex stata ratione annorum, ac temporum assecutus est profecto, esse sapientiam aliquam, à qua ista omnia tam certa, & constantia regerentur. Ergo illam ipsam quæsivit, & coluit, abjectis, spretisque Deorum insaniis, quos ipse sibi homo erat fabricatus, ut opus suum adoraret ipse autor.

Illud præterea certo certius ex Josephi testimonio l. Antiquit. c. 8. constat, quod Abraham à Palæstina in Ægyptum veniens, Mathematicas disciplinas Ægyptios docuerit; cuius verba sunt: *Numerorum scientiam, Siderumque benignè illis communicavit.* Nam ante Abrahami ad se adventum Ægyptii ignorabant has disciplinas. A Chaldais enim profectæ ad Ægyptios, inde ad Græcos devenerunt. Hinc Ægyptii illum Diis adscriperunt, & grati animi testimonium præbentes, quod omnium fere scientiarum semina ipsis attulerit, sub Saturni nomine coluerunt. Alia porro memoratu digna, sub Saturni nomine, ex Sanchoniathone Berytio, qui antiquissimus Phœniciarum rerum scriptor, Trojano tempore antiquior, & Mose uno, alterove saeculo recentior extitit, ex Sanchoniathone, inquam, refert Philo Byblius, qui ejus opus è lingua Phœnicum, vel, ut Genebr. mavult, Syriaca, Græcè reddidit. Talia sunt: Quod Cœlo Patri unigenam filium totum flammis absumtum sacrificaverit; quod ex eo deductum est, quod Abraham filium suum unigenitum Isaac super accenso igne Deo sacrificare paraverit. Sic etiam Saturnum sibi virilia circumcidisse,

& commilitones omnes, idem ut facerent, adegitse, fabulantur ex eo, quod Abraham se, & suæ familiæ mares, ut habetur Gen. 17. circumcidit; & his similia. Videatur fusius Divus Ambros. de Abraham. Abrahami quoque viram descriptis Hecateus Abderita, qui erat in comitatu Alex. Magni, Philo Byblius, Artapanus, Eupolemus, Demetrius apud Eusebium, & Berosus apud Josephum.

Abrahamo non solum in hæreditate, sed in Sapientia quoque, & Pietate successit Isaac ejus filius, in quo benedictionem acceperunt omnes gentes Terræ, ex quo omnes Prophetæ, & Viri justi, & ipse tandem Messias, cuius figura ipse fuerat, geniti sunt; & cuius familia continua Pietatis, & Sapientiæ Schola fuit. Isaac successit Jacob ejus filius, cui Deus ipse Sapientiam, & arcana sua per somnium communicavit.

Jacobi Sapientiam, & Pietatem veluti in hæreditatem obtinuit Joseph ejus filius, qui speciali Dei dono ex avium volatu, & voce, ex astrorum cursu, & adspicere futura prædicere, & somnia interpretari jam noverat. Et quidem postquam biennium in carceribus innocens Josephus exegerat, Pharao ex pincernæ sui consilio, cui Joseph ex somnio futuram felicitatem prædixerat, è carceribus eum educi jussit, ut ipsi somnum septem vaccarum pinguium, totidemque grandium spicarum, & contra aliarum siccårum septem, ac totidem exilium interpretaretur. Ita Joseph solvit, regique somnum interpretatus est, septem annis proximis maximam frugum ubertatem futuram, consequentibus septem inopiam. Videns igitur Pharao divinum in Joseph spiritum, ipsum Magnum Ægypti Ædilem, & Στρατηχον, hoc est, rei annonariæ Præfectum fecit, æquato secum Imperio, si solium, & primatum excipias. Tum Joseph, abundantibus per totam Ægyptum frumentis, magnam copiam congesit, multiplicisque horreis, adversus futuram famem consuluit. Atque hinc colligunt Ruffinus, Julius Firmicus, Pierius, & Baronius, Josephum sub nomine Serapidis, & Osiridis ab Ægyptiis cultum fuisse; idque tum ex nominibus, tum ex Hieroglyphicis, quibus Osiridem designabant, deducunt: quibus subscribunt Clem. Alex. Augustin. A Lapide, & Bonfrerius. Jam omnes norunt, fertilitatem, & sterilitatem Ægypti ex Nilo pendere; sed quæ fluminis altitudo ad fertilitatem requiratur, hic adnotandum. Plin. 5. 9. *Duodecim cubitis si Nilus exundet, famem sentit Ægyptus; si tredecim, etiamnum esurit. Quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias: maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim.* Hinc Rex Pharao, ex cuius somniis, quæ Ægypto futura erant, prædixerat, eum spiritu Dei plenum, & omnium sapientissimum dixit, ut habetur Gen. 1. 41. his verbis. *Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui inventire potero?* Quare eum Pharao constituit super universam rerram Ægypti, & Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, ut erudiret Principes ejus, sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret. Inde tunc temporis Ægypti Regnum verè Philosophicum à Joseph, omnium eo tempore sapientissimo, in sapientia sua gubernatum, & edoctum dici potuit. Ex Artapano quoque arguit Euseb. in Præp. Evangel. quod Joseph Ægyptum ingressus senes Pharaonis, hoc est, Ægyptios Sacerdotes artes, & scientias docuerit; atque hinc factum est, ut ejus familia in Ægypto permanens Hermuthii, hoc est, Hermetis nomen obtinuerit, en quod Josepho, quem Mercurium quoque Τερμέγιον Termaximum appellabant, scientias, artesque omnes Ægyptii acceptas referebant. Joseph tandem, qui Ægyptum venerat, venundatus an. æt. 17. & regnare cooperat an. 30. mortuus est an. 110.

Job quoque Princeps Idumæus de Terra Hus, de stirpe Esau, quamvis in Populo Dei nec natus, nec edocitus, inter primos tamen Mundi Sapientes connumerari meretur; is enim fuit, qui non solum in Ethica, in qua omnium maxime & verbo, & exemplo excelluit; sed & in Physicis quoque, & Theologis summe eruditus Præceptor extitit. In suis enim libris, sive de Deo, sive de Angelis, & Anima, sive de Naturalibus rebus sermonem instituit; mirum, quād docte, & eruditè omnium naturas, caussas, & effectus investigat. Hic omnium moralium virtutum, Patientiae in primis non solum magister fuit, sed etiam exemplar. Jobi historiam ita breviter, & elegantè descripsit Sulp. Sever. Hist. Sacr. I. I. n. 23. *Hoc tractu temporum Job fuit, legem naturæ, & agnitionem Dei, & omnem iustitiam complexus, prædives opibus: atque eò illiusrior, quod his neque integris corruptus, neque amissis depravatus est. Nam cum per diabolum exutus bonis, filiis etiam esset orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus, non potuit vinci, ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. Mercedem denique divini testimonii consecutus, sanitati redditus, omnia, quæ amiserat, in duplum recepit.*

Et talis quidem virtutis fuit Job, ut Deus ipse eum proprio ore laudaverit, cùm dixerit ad Satan: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit et similis in Terra, homo simplex, ac rectus, & timens Deum, & recedens à malo? Præterquam quod ejus eruditissimus liber (quicquid dicant, qui librum hunc Moysi tribuunt, ac Jobum hunc nunquam extitisse contendunt, sed librum Jobo adscriptum sub ficta Jobi persona à Mose confectum volunt ad tolerantiam in Israëlitis excitandam, qua suæ peregrinationis labores in Arabiæ desertis perferre potuissent. Hæc enim sententia ab Ecclesia Catholica damnata jure est, ac Jobi liber Canonicis adnumeratus) ejus, inquam, liber Moralis, Naturalis, & Theologicæ scientiæ refertissimus est. Sic enim ipse de Metallis, & Lapidibus c. 28. disputat: *Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, ubi conflatur. Ferrum de terra tollitur, &c. Locus Sapphiri lapides ejus.* Et mox de Sapientia disputans ait, eam nec in Abysso, nec in mari, nec apud homines, nec apud Cœlorum aves inveniri, sed in solo Deo ipsam esse, eamque solum ipsum intelligere. Unde Deum hominibus dixisse subdit: *Ecce Timor Domini ipsa est Sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Philosophandi modus brevis, & elegans; sicut Hebræorum, & antiquorum omnium fuisse, notat Clem. Alex. I. Strom. his verbis: *Modus priscis philosophandi velut Hebreus, & ænigmaticus; nam breviloquentiam amplectebantur, quæ admonitioni apta est, & est utilissima.**

Porro Daniel Huet. Demonstr. Evang. Propos. 4. pag. 322. & sequentibus putat, Jobi Principis Arabis casus toleratos à Mose adhuc juvēne, inter Arabes degente apud Sacerum suum Jethro, ad populares suos scriptos esse, ut eos ad tolerandas diuturnæ servitutis miseras, & meliora à Deo petenda, & speranda, proposito Jobi exemplo, institueret. Jobum vero ipsum revera extitisse, eumque diro, ac tetro ulcere ero sum in agerbissimas calamitates incidiisse, atque ad eum auxorem, & amicos convenisse, jam satis ex multorum testimoniis probat cit. Autor ibidem. Vera igitur Jobi historia est, sed à Mose poëtice digesta ad solatium Israëlitarum, ex cit. Huet. sententia.

Fuit Jobus Mōse vetustior: Salomonem sexcentum circiter annos præcessit. Natus est saeculo ab O. C. 23. in Terra Hus, quam Aristæus inter Arabiam, & Idumæam collocat: secundum quam sententiam & Arabs cum Huet. & Idumæus cum Thomasino, aliisque dici poterit. Multi ejus historiam non à Mose, sed ab ipsomet Jobo, vel ejus amicis, ut alii putant, scriptam, à Mose ex Arabicō, ut Hebræi volunt, vel è Syro, ut Origenes contendit, tantum

con-

conversam existimarentur. Philo, Jobum Jacobi tempore vixisse putat, & Dynam uxorem accepisse: Hieronymus, Mosis: Gregorius, Judicum: Alii, Davidis: alii denique ipsum ex sapientibus Babylonis fuisse, autumant, teste Rambam. Communis opinio est, vixisse tempore servitutis Israëlitarum in Ægypto. Denique mortuus est an. aet. 211. vel, secundum alios, 217. cuius opinionis differentia ex eo orta est, quod quidam volunt, Jobi calamitates annum unum, alii annos septem durasse. An autem idem fuerit cum Jobab Rege Edom, de quo Gen. 36. v. 33. an alter, quæstio est apud autores, atque ipsos etiam Catholicæ Ecclesiæ Patres. Vide, præter Sacra Biblia, Huet. Bellarm. aliosque. Extat etiam Historia Jobi Frid. Spanhemii. Tradunt Hebræi, Jobum eo tempore, quo Israëlitæ promissæ terræ exploratores venerant, mortuum in Chanaan esse; ejusque, dum viveret, precibus Deum Chananæis pepercisse. Domus, & Sepulcrum ejus fuit in Trachonitide. Hieronymus, Abulensis, Vossius.

C A P U T Y I.

De Moſe, Salomonē, eorumque Philosophia.

Moses filius Amram de Tribu Levi, cui ab eventu, ut scribit Josephus, nomen impositum fuit, quod scilicet à filia Pharaonis ē flumine sit servatus; Moÿ enim aquam vocant Ægyptii: itaut Moyses vocetur, qui ex aqua emersus respiraverit, hoc sibi nomine à filia Pharaonis aptissime imposito, ut notat Philo in Vita Mosis, & Clem. Alex. i. Strom. in quo fusius ostendit, quæ ejus vita, quæ facta, quæ Philosophia, omnigenaque doctrina, à qua, tanquam ex fonte, omnis ad Græcos doctrina promanavit. Eandem Etymologiam nominis Mosis suis carminibus expressit Ezechielus in Judaic. Tragœd. Actu, qui inscribitur Εξαγωγή, Educatio, sic:

Οὐρανὸς δὲ Μωϋσῆς αὐτόματε τῇ χάριᾳ

Τ' γέρας αὐτῷ ποταμίας ἀπ' ἥδος.

Nomenque Moses indidit, quod scilicet

Ripa repertum sustulit me fluminis.

In Circumcisione autem Joachim, & post assumptionem Melchi, sive Melchil nominatum Mystæ volunt. Moses Arithmeticam, & Geometriam, Rhythmeticam, & Harmonicam, Medicinam, & Musicam, Philosophiam, quæ symbolis traditur, & Hieroglyphicis, omnemque scientiam à Chaldæis, & Ægyptiis, sicuti Regium Puerum decebat, edoctus est. Natus est an. 37. post obitum Levi, hoc est, anno Mundi conditi 1368. ut scribit R. Abraham filius Hija Hispanus. Septimus fuit à Patriarcha Abrahamo. Quod significat Salmaticensis in libro Johasin per hæc verba: *Moses doctor noster (super eum pax) fuit septimus Sanctorum Patrum, itidem ut Sabbathum.* Basilius Magnus tradit, Mosen à cognitione Ægyptiarum disciplinarum ita mentem exercuisse, ut pervenerit ad contemplationem τῇ ὄντας.

Hic καὶ τὸ ζωὴν Vir Dei Deuteron. 33. appellatur. Ejus Vitam, Virtutes, & illustria facta, quia ex sacris libris omnibus nota, opus non est, ut hinc repeatam. Tantum addam, quod scribit Eupolemus l. de Jud. Reg. Mosen primum fuisse Sapientem, & Grammaticam primum tradidisse Judæis, & Phœnices accepisse à Judæis, Græcos autem à Phœnicibus.

Moses à Clem. loc. cit. & alibi, Propheta, Legislator, ordinandæ, instruendæque aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens, Politicus, & Philosophus

sophus dicitur. Et ipsum quidem sapientissimum Philosophum ostendunt illi Veteris Testamenti libri, quos Mosis germanos, & genuinos esse, innumerorum penè scriptorum tūm sacrorum, tūm profanorum testimoniis probat Daniel Huet. Demonstr. Evang. Prop. 4. c. 1. & 2. præcipue verò Sanchoniathonis, Homeri, Hesiodi, Thaletis, Solonis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Socratis, Platonis, Ægyptiacarum Mercurii Columnarum, Taciti, Plinii, Apuleji, aliorumque; imo ex solis ejus libris Homerum, Hesiodum, Solonem, Pythagoram, omnesque Græcos, quicquid in eorum libris vel fabulosæ historiæ, vel Philosophicæ scientiæ, vel legalis disciplinæ est, hausisse ostendit. Idem sentire videtur Porphyrius, qui Mosen de Judæis verissima scripsisse agnoscit. At Mosaica quidem Philosophia, subdit Clem. Alex. 1. Strom. quadripartitò dividitur, & in partem Historicam; & eam, quæ propriè vocatur Legitima, quæ quidem esset Moralis actionis propria; tertiam autem eam, quæ pertinet ad Sacrificia, quod quidem est naturæ contemplationis; & postremò quartam speciem Theologicam, quæ est suprema contemplatio, quam, dicit Plato, esse revera magnorum Mysteriorum. Et 2. Strom. Clarum est ergo, omnes alias virtutes, quæ scriptæ sunt apud Mosen, Græcis principium totius Moralis præbuisse: magni, inquam, animi virtutem, & temperantiam, & prudentiam, &c.

Et à Mercurio quidem (secundi tamen, quem eundem cum Mose esse infra dicemus) Columnis Philosophiam suam hauserunt Eudoxus Cnidius, Conuphidis Ægyptii discipulus, Plato, & Pythagoras; quorum ultimus, ut scribit Jamblicus in ejus vita, Sidone cum Mochi successoribus congressus fuit: qui Moschus Laërtio, & Suidæ Ochus appellatur. Sed quia is, quem Jamblicus commorat, de rerum natura differuit; facile nos indè deducimus, Jamblici Moschum, seu Laërtii Ochum eundem esse cum illo, quem Strabo Moschum Sidonium appellat, quemque Physica tractasse ait, & Trojano excidio fuisse antiquorem. Quare hic emendandus videtur Jamblicus, & loco Mochi, Moschi legendum est. Meminit ejusdem Sext. Emp. qui à Moscho doctrinam suam Democritum sumfuisse statuit, Posidonio id testante.

Facile autem probatu est, Mosen cum Moscho eundem esse, tum ex nominis affinitate, tum quod uterque & Trojano bello antiquior, & Physica tractasse fertur, unde & Physiologi dicti sunt. Sidonius autem credi potuit ab iis, qui patriam suam ignorabant; vel quod potissimum Sidone doctrina sua propagata fuerit, vel propter Judææ viciniam: nonnunquam enim Judæos cum Phœnicibus confundicertum est.

Aristobulus Judæus aperte ostendit, Peripateticam Philosophiam ex Mosen manasse. Notandum tamen hic est primò, Columnas Mercurii, unde Plato, Pythagoras, omniumque fere nationum sapientes edocti sunt, non confundendas esse cum Columnis illis, quas filii Seth fecerunt, ut perperam egisse videtur Eusebius. Secundò, Mercurium hunc (quem secundum vocat, & Mosen esse evincit Huetius) autorem Columnarum, non confundendum esse cum Primo Mercurio, seu Trismegisto illo, quem Josephum, Jacobi filium, esse, supra ostendimus.

Validissimis quoque veterum scriptorum testimoniis eruditissimus Huet. ibidem c. 3. & 4. probat, Mosen non solum eundem esse cum Moscho, & Mercurio Secundo, sive Theuth, & Taauto, quem Ægyptii utope literarum, multarumque scientiarum inventorem inter Deos retulerunt; sed eundem quoque eum Osiri, sive Baccho, Api, Mnevi, Serapide, Oro, Anabi, Vulcano, Typhone, omniumque fere nationum Diis. Et Osiris quidem idem est apud Ægyptios, ac Sol, seu Apollo, quem Ophæ in Hymnis Bacchium appellat, imo cum Baccho à plerisque confunditur: & sicuti Bacchus, ita & Moses

Bimater. Qui autem Ægyptiaca lingua dicitur Apis, Græca verò Μόσχος, Vitulus scilicet, Osiris est, quem sub Vituli forma Ægyptii adorabant, ex quo Bos in Osiridis tumulo apparuit; quem Apim Tibullus l. i. Bovem Memphitem vocat:

*Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta Bovem.*

Vossius verò i. Idol. 29. de Apide Ægypti differens ait: *Facile adducor, ut credam, Apis nomen fuisse illud, quo Josephus in sacris nuncupatus. Nempe ut exprimat Hebræum Ab, Pater. Jam verò quæ appellatio Josepho accommodatior, quam Ab, sive Patris? quippe qui nutricius totius fuerit Ægypti; quales κατὰ μεταφορὰν patres dicti: ut nutrix Plauto altera mater. Ipse etiam Joseph Gen. 45. v. 8. fratribus suis ait, se constitutum esse in Patrem Pharaonis. Imo fortasse eodem pertinet, quod Pharaonis jussu acclamatum sit ante eum Abrecb, quod significat Pater Rex, &c. Mnevis Bos erat alter Osiridi sacer, sive ipse met Osiris, qui sub forma bovis Heliopoli colebatur; unde Bos Heliopolitanus dictus est. Philo Byblius, & Macrobius Serapim eundem cum Osiride, seu Api faciunt. Orus, quem multi Osiridis filium faciunt, à Macrobio, & Eusebio idem cum Osiride censetur. Anubis tandem Ægyptiaca lingua dicitur Canis, sub cuius forma colebatur Mercurius, ut ait Servius in 8. Aen. vel filius ipse Osiridis, qui, ut scribit Diodorus, ex eo quod canem gestabat, Ægyptii Canem venerantur, & Anubim Deum canino capite effingunt.*

Neque verò hoc mirum videri debet; clare enim Huet. ib. c. 10. ostendit, Fabulares omnes Deos unum, eundemque esse, Mosen scilicet, ac Fabulares omnes Deas unam, eandemque esse, nempe Sephoram Mosis Uxorēm; quarum Dearum pleraque Mariam Mosis Sororem referunt. Et quidem non immerito, nam universa proptermodum, ut cit. Autor ostendit, *Ethnicorum Theologia ex Mose, Mosisque actis, vel scriptis manavit; veluti Theologia est Phœnicum, Græcorum, &c.*

Non solum autem Fabulares omnes Dii Græcanici ex ipsa Mosis persona larvata, & adscititio habitu coniecta provenerunt; sed & magna Græcorum Mythologiæ, seu Fabularis Historiæ pars ex Mosis scriptionibus, verbis, doctrina, & institutis provenit. Postquam enim à vero deflexerunt homines, & in multiplices errorum anfractus delapsi, fabulas fabulis congesserunt; plurimum illis placuit, uni eidemque fictitiæ personæ plures adjungere significationes, & alias quidem physicas, alias vero historicas. Unde variæ à Græcis Deorum, & Heroum personæ Mosi impositæ fuerunt; Mosaicamque doctrinam innumeros fabulis obduxerunt. Sic ex. gr. pro ædificatione Turris Babel, cuius culmen Cœlum pertingeret, fabulam de Gigantibus, bellum Jovi inferre volentibus, commenti sunt. Moses è Nili undis à Pharaonis filia eductus locum dedit Ægyptiorum fabulæ, quod Mercurius Nili filius sit; & similia. Quod, quia à Josepho, Justino, Clem. Alex. Euseb. Huet. aliisque satis superque probatum est, non est, ut hīc repetam.

Mosen Heliopolitanum fuisse volunt Ægyptii. Hic plura scripsit stylo ut plurimum historico, simplici, & humili, qualis scilicet rudem populum sibi subditum decebat; præsertim vero Pentateuchum, sive volumen quinque librorum, quod Moses Israëlitis scripsit in deserto, ut per beneficiorum memoriam, & legum cognitionem, solitudinis, & peregrinationis incommoda facilius sustinerent. Quæ sententia est Theodoreti, Bedæ, Tostati, & Eusebii. Verum Genesim in Ægypto scriptam ad consolationem Hebraeorum, dum ibi opprimebantur, Perer. affirmat. Praeclaræ, & ex sacris Codicibus jam nota Mosis miracula magicis artibus Ægyptii, & Græci tribuere. Hinc Mosen inter præcipuos

cipios Magos collocant Plin. l. 30. c. 1. Justin. 36. Apul. Apol. & Strabo 16. Tandem annum agens 120. jubente Domino, mortuus est in Terra Moab; cuius cadaver integrum semper mansit, Israëlitis tamen incognitum semper, ne Mosen, ut Deum adorarent. Refert Trabellius Pollio, Mosen morientem questum esse, quod juvenis moreretur. Et de Mose hæc breviter.

Mosi in sanctitate, & sapientia septuaginta illi de senibus Israël successerunt, quos Moses ipse jussu Domini sibi discipulos congregaverat, & quibus Deus dedit de Spiritu Mosis, ut habetur Num. 11. ut sustentarent secum onus populi, ne solus gravaretur. Horum præcipui fuere Josue, & Samuel; quorum primus in Israëlitarum gubernatione succedens librum confecit, ipsius nomine inscriptum. Samuel quoque librum composuit, quem quorundam Græcorum rituum, & fabularum fontem omnes faciunt.

Cæteris tamen Hebræis sapientibus prætermisssis, ad Salomonem, omnium, qui præcesserant, & qui futuri erant, sapientissimum Davidis filium, accedamus. Postquam Rex Salomon solemne sacrificium Deo obtulerat, ex 3. Reg. 3. apparuit ei Dominus per somnium nocte dicens: *Postula quodvis, ut dem tibi.* Cui respondens Salomon ait: *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Cui Dominus: *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Sapientiam igitur, quam diutius optaverat, ab ipso Domino accepit Salomon; quod de se pluries ipse testatur, ut Sap. c. 7. Optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me spiritus Sapientiae. Et mox omnium rerum scientiam se à Deo accepisse afferit his verbis: *Dedit mihi Deus eorum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem Orbis terrarum, & virtutes Elementorum, &c. & quæcumque sunt abscondita, & improvisa: omnium enim artifex docuit me Sapientia.* Et ib. c. 9. Sapientiam petit à Domino dicens: *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Tandem ex 3. Reg. 4. & 5. Praecedebat igitur Sapientia Salomonis Sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum; & erat Sapientior cunctis hominibus. Sulp. Sever. Hist. Sacr. l. 1. n. 70. de Salomonis sapientia hæc habet: *Ita in admirationem ingenit, prudentiæque ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo, fædusque petiere, parati imperata facere.*


Quæ hucusque de Salomonis Sapientia verba attulimus, confirmantur ex ejus scriptis, in quibus universam Philosophiam contineri volunt Hebræi: ex communi enim omnium S. Scripturæ Interpretum, etiam Rabbinorum, sententia, Salomon Moralem per Proverbia, ut supra quoque dictum, Naturalem per Ecclesiasten, & Contemplativam, sive Theologicam per Cantica Canticorum tractavit. Atque hinc factum puto, ut plerique Græcorum, & Ægyptiorum Sapientum, qui Salomonis inventa sibi vendicarunt, tres quoque Philosophiæ partes agnoverint, quas per tres colligatos circulos, qui à majori Theologiæ circulo complectentur, sub Encyclopædiæ nomine exhibebant, ut docet Joh. Pier. Valerian. Hieroglyph. l. 38. c. 8. Logicam quoque in his libris à Salomone traditam fuisse Origenes demonstravit.

Scripsit præterea Salomon tria millia Parabolarum; Carminum quinque milia; Psalmorum numerum auxit; Physiologiam, sive Naturalium rerum scientiam tractavit, scribens à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quod prodit de pariete; & differuit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant ad eum de cunctis populis ad audiendam Sapientiam Salomonis, ut ex cit. 3. Reg. 4. & 5. Ejus tamen libri plurimi interciderunt: nam tria millia Parabolarum, quinque millia Canticorum, Physiologiam, libros Legis, aliosque Sacros Salomonis libros, ut narrat Genebr. in sua Chronograph.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ

combussit Nabuzardan Princeps militiæ Nabucdonozoris Regis Babyloniorum. Conscriptis volumina de abstrusissimis naturæ secretis. Quæ omnia Dei providentia interierunt. Abul. Glossa censet, combusta fuisse à Chaldæis; Eusebius vero, & ex eo Glycas, ab Ezechia Rege. In monte Sion ipse docuit, constituta ibi celeberrima Academia. Prov. 9. 1. Ab eoque doctrinam suam hause- runt Pythagoras, Socrates, Plato, & Aristoteles, teste Eusebio, Ambrosio, Clem. Alex. & aliis.

Qui post Salomonem fuere in populo Dei Sapientes, ut plurimum Sanctitate, vitæ asperitate, continentia, & miraculis clari celebrantur. Tales fuere Elias, Elisæus, Daniel cum tribus suis amicis Chaldæis, Zorobabel, Esdras, & omnes denique Hebræorum Prophetæ, quos Græci deinde in vitæ moribus Philosophi quidam imitati sunt. Sed eorum vitam, dogmata, & facta, quia minoris momenti, & jam ex Sacris Bibliis cunctis obvia, prætermitto. Atque hæc de Philosophiæ Natura, Fine, & Origine, & de primis Sapientibus breviter dixisse sit satis.





L I B E R I I.

De Philosophia Barbarica, ejusque Sectis.



Actenus egimus de Philosophiæ, ipsiusque Sapientiæ Origine, & Progressu sub primis illis Dei populi Sapientibus; observantes ut ab Adamo, primo omnium parente sapientissimo, per Seth, & Enoch ad Noë; à Noë verò, ejusque filiis ad Abraham; ab Abrahamo denique, ejusque nepotibus Josepho, Jobo, Mose, & Salomone ad Chaldaeos primum, & Hebræos omnes; ac tandem, postquam Abraham Dei iussu Ægyptum petiit, ad Ægyptios pervenerit, quos scientias ferè omnes ipse docuit. Videndum nunc est, qualis, quantusque per varias Philosophorum sectas Philosophiæ Progressus fuerit. Et primo quidem de Barbarorum sectis agemus, quum id Græcorum etiam plerique, ut Laërtius, Sotion, Hermodorus Platonicus, aliique fateantur, Philosophiam apud Barbaros primùm floruisse, deinde verò apud Græcos. Imò non solius Philosophiæ, sed etiam omnium ferè artium Barbari fuere inventores, ex Clem. Alex. i. Stromat.

Barbaros autem eos omnes voco, qui extra Græciam, & Italiam ortum habuere, ut Africani, & Asiatici omnes, & ex Europæis Thracæ, Galli, &c. Græcos verò, qui in aliqua ex vetustissimis Græciæ Provinciis nati sunt. Omnis igitur Philosophia dividetur in eam, quæ extra Græciam, & Italiam floruit, quam Barbaricam, & in eam, quæ in Græcia, quam Græcanicam appellabo. Inter Barbaros verò Hebræos primo loco placuit numerare, quorum originem omnium novimus vetustissimam. Et rationi quidem consonum videtur, ut, postquam superiori libro Hebræos primos Sapientiæ inventores, & excultores vidimus, in hoc secundo Hebræorum sectas omnium primo enumeremus, quorum Philosophiam Græca longè antiquorem Cassianus etiam Exegeticus primo, multis evincit; & Clem. Alex. i. Strom. generationibus multis etiam ait fuisse antiquorem his verbis: Δι' ὃν διαχθήσεται ἀναμνησίς πάσης σοφίας ἀρχαιωτάτη ή καθ' Εβραίους Φιλοσοφία: Quibus ostenditur citra ullam controversiam, Hebræorum Philosophiam esse quavis Philosophia longè antiquorem. Imo idem loc. cit. Platonem ipsum γένεται Εβραίους Φιλόσοφος vocat.

C A P U T I.

De Hebreis, eorumque Sectis:

Populi, qui sub veri Dei cultu vivebant, vario sèpè nomine appellabantur. Et quidem Hebræi ab' Heber secundæ ætatis Patriarcha, & Sem pronepte, à quo originem suam ducebant, & cuius lingua utebantur, dicti sunt: vel,

ut alii malunt, sic dicti quasi advenæ à verbo Hebræo *Havar*, *Transfruit*, eo quod Abraham à Deo vocatus à terra Chaldæorum transivit flumen Euphratem, & venit in terram Chanaan. Unde Rabbinorum multi cum R. Seb. Gen. 10. putant, Abraham omnium primò Hebræum dictum, & ex eo deinde ejus posteros Hebræos appellatos fuisse.

Iidem Israëlitæ etiam dicti sunt à Jacob tertiaræ ætatis Patriarcha, qui post Angelicam luctam Israël vocatus est, quod nomen *Prævalentem Deo* significat. Hoc deinde nomine filii Jacob distincti sunt à filiis Esau, qui Idumæi, hoc est, Rifi à patre, qui rufus erat, vocabantur.

Tandem Judæi nominati sunt à Tribu Juda tres ob caussas. Et primo quia omnium maximè florens, & integra hæc erat, ita ut cæteris sūb captivitate Babylonica quasi evanescentibus, hæc sola, Duce Zorobabele, ex omni Hebræa gente redierit, solique ex Hebræa natione Judæi superfuerint. Secundo quia Reges ex ea fuerunt. Tertio quia ex ea Messias nasci debebat. Sed his de Hebræis breviter adnotatis, eorum sectas inquiramus.

SCRIBÆ, RABBINI.

Ubi in Israël Prophetæ esse desierunt, hoc est sub posteriori Templo, post exilium Babylonicense, quum divina Numinis vis, afflatusque eos non ageret, penes quos tantum recta Legis, divinæque voluntatis sententia servabatur, vivendique norma; Doctores esse cœperunt, qui ante Christum natum nullis utebantur titulis speciosis; nam dudum ante tempora Christi omnes Doctores, Prophetæ, Interpretes, Legis Expositores, & in genere omnes Literati dicebantur *Sopherim* à verbo *Sophar*, sive *Saphar*, ut placet Lamy, *numerare, narrare*; quæ vox Græcis vertitur Γραμματικοί, Νομικοί, Νομοδιδάσκαλοι. Hinc & Latini eos à Græca voce Γραμματικοί, quæ ἀπὸ τῆς γράφεω *Scribere* est, *Scribas* dixerunt, licet potius *Narratores*, & *Expositores Legis* vertendi essent. Atque hinc forsan factum putamus, ut Græci Hebraicæ voci alludentes, suæ gentis Sapientes Σοφοί dixerint.

Scribæ ergo dicebantur, qui Scripturas exponebant, & à corruptelis vindicabant: Legem populo in Templo, & Synagogis prælegebant, in qua omnes erudiebant: dubia, & obscura quæque interpretabantur: Tribuum, Regiæque stirpis Genealogias asservabant; atque alia id genus sacra munia exercebant; ut præter alios notat eruditiss. Lamy in Appar. Bibl. pag. 192. Itaque, ut Prophetæ voluntatem Dei pronunciabant, ita Scribæ Legem ejus interpretabantur. Quorum utrumque munus omnium optimè obivit Moses, qui voluntatem Dei, Prophetarum more, populo aperiebat, & Scribam agens Dei Legem saepius exponebat. Hinc utriusque munieris primordia ab ipso Mose videntur deducenda.

Sunt inter autores, qui volunt, Scribas ortos esse circa captivitatem Babyloniam, circa tempus seilicet, quo Prophetæ donum in Malachia exspiravit, & Sacerdotes plus negociis, & regimini, quām plebis institutioni vacare videbantur: quæ ministerii pars certo hominum generi, qui Sopherim, hoc est Scribæ, sive potius Legis expositores dicebantur, reservata est. Et Esdras quidem, Zachariæ, Aggæo, & Malachiæ coætaneus, saepè vocatur Sophar, Scriba; & in 3. lib. apocrypho, qui Esdræ nomine insignitur, Αράγρως τῆς Νόμου, Doctor Legis ordinariè vocatur. Hinc educit Lamy Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Scribarum nomen antiquissimum esse.

Deinde verò circa Christi tempora Doctores, & Principes Legis doctrina excellentes, Rabban, & Rabbi dicti sunt à radice *Rabbab*, multiplicatus fuit,

ut

ut illi dicerentur Rabbi , qui multiplici doctrina præditi erant : nisi malis sic dictos à voce Rab , quæ *Magnum* significat ; soli enim Rabbini supra omnes Ju-dæorum ordines Magni æstimabantur ; itaut Regi ipsi essent præferendi . Qui autem Hebræorum lingua Rabbini , & Sopherim dicebantur , Latinis Scribæ dicti sunt .

Hi singulis sabbatis in Scholis , seu Synagogis docebant . Vide Joseph. 2. adversus Appionem , & Philon. l. 3. de Vita Mosis . Distinctis ipsi Cathedris se-debant , primas semper affectantes ; quod & exprobrat eis Dominus Jesus Matth. 23. 6. dicens : *Super Cathedram Moysi sedent scribæ , & Pharisei* . Nam quia Scribarum secta erat Orthodoxa , una cum Phariseis super Cathedram Mosis sedisse dicuntur , ut qui eam vacuam invassissent , dum Sacerdotes divitiis abutentes Ecclesiasticis suum munus desererent . Sed neque ipsi , neque Pharisei erant necessariò de genere Sacerdotum , quorum proprium super Cathedram illam federe erat : Scribæ enim ferè de paupere Simeonis Tribu erant ; Pharisei verò , quibus hodie Rabbini successerunt , de qualibet . Cozri , & Cab. Historica .

Summæ autoritatis erant , iisque ab Ezra instituti . Scribarum munus erat , ut de Lege consulti ex sacris libris responderent , itaut divinarum Scripturarum essent interpres , unde & Scribarum nomen sortiti sunt . Epiphanius l. 1. Panarii Pharisæos Theologis nostris , Scribas Canonistis assimilat , quod illi Scripturarum Mysteria penitus scrutabantur , hi Leges Civiles , & Mosaicas secundum Legis corticem curabant ; itaut non secus ac apud Romanos in rebus dubiis ex Sibyllarum voluminibus Aruspices , apud Hebræos ex scriptis legibus Scribæ consulerent ; unde in Evangelio Legisperiti etiam vocati sunt .

Notat Lamy in Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Doctores Judæorum occupari solitos circa hæc tria , nempe circa *Mischna* , hoc est circa Traditiones ; circa *Midras* , hoc est circa studium Scripturarum , ut eas vel mysticè , vel allegoricè explicarent ; & circa *Miera* , hoc est circa textum Bibliorum . Qui verò legem scriptam profundiùs interpretabantur , *Agadici* dicebantur à verbo *Nagad* , narrare .

Præter hanc literariam Judæorum Doctorum occupationem , manibus quoque elaborationem ipsis tribuit Lamy ibid. ubi celebre illud Gamalielis effatum refert , quod est in lib. *Pirke Avot* . *Pulcrum est studium Legis una cum opificio aliquo : hæc enim duo juncta peccati oblivionem inducunt ; at studium Legis absque opere manuário & cessare solet , & esse caussa peccatorum* . Atque hinc factum , quod Divus Paulus , qui Gamalièle præceptore usus paternam legem diligenter didicerat , Scenofactoriam artem exercebat .

Quoad Scribarum Scholas , refert Divus Hieronymus in c. 8. *Esaiae* , duas fuisse nobiles familias , seu Collegia , Scammai , & Hillel , ex quibus orti sunt , vel potius incrementa sumserunt Scribæ , & Pharisei , quorum scholam suscepit Rabbi Akibas ; post Akibam Meir , cui successit Johanan filius Zacchei , cui Eliezer , cui Delphon , cui Joseph Galilæus , cui tandem usque ad captivitatem Jerusalem , Jofue . Optat. l. 3. ait , in monte Sion septem fuisse Collegia , seu Scholas Judæorum , in quibus divinæ literæ præcipue legebantur . Sed etsi multæ Judæorum Scholæ , omnes tamen ex discipulis Hillelis , & Scammai ortæ traduntur . Prima Schola , cuius caput Hillel , non multo ante Christum floruit . Huic se opposuit Scammai doctrinæ pariter celebris , contrarias plane Hilleli opiniones sequens , qui & multos sibi asseclas doctrinæ fama comparavit . Divus Hieron. l. cit. nomen *Hillel Dissipator* , *Scammai* verò *Profanus* interprætatur , eo quod per Traditiones , & *στοτερωτας* suas , Legis præcepta dissipaverint , & profanaverint . Utriusque tamen Scholas non multò prius , quam Chri-

Christus nascetur, in Iudæa ortas idem tradit, earumque opiniones apud Talmudicos perpetuò recenserit. Petrus Cunæus de Rep. Hebr. l. i. c. 12. Is autem (Hillel) magni Concilii princeps erat, & alterum sub se præsidem habuit Samæam, hominem truculentum, ambitiosumque, cuius sectatores, cum paulò post contra discipulos Hillelis insurrexissent, tantis studiis animos hominum conciverunt, pene uti totus populus pertractus in partes sit. Et l. 2. c. 17. Talmudicorum illud est, octodecim res esse, de quibus contentio fuit inter familiam Hillelis, & Samei, quas nec Elias quidem expedire possit. Profectò hoc est ad desperationem despere. Adeo enim nodosa, & intricata commenti sunt duo illi dissidentium Sectarum duces, ut nec vates quidem, aut cœlesti oraculum ferre opem potuisse autument. Idem Cunæus l. c. afferens, omnes Sectas, & Hæretes ortas post exilium Babylonense fuisse, addit: Scio quidem, ante Babylonense exilium fuisse quosdam, qui Naziræi, Kenætique, & Rechabitæ dicerentur: sed ita certa quadam vitæ disciplinâ, non opinionibus, sententiisque, diversi à reliquo populo erant.

Johanan Ben Zacchai etsi inter discipulos Hillelis eruditione minimus fuisse dicatur; ipsum tamen universum Cabbalæ, ac Scripturarum corpus, cunctas etiam Philosophiæ partes exactissime tenuisse, ac Scholæ Scribarum, & Pharisæorum magna cum laude præfuisse, asseverat in Chronol. Genebr. p. 205.

Inter 80. Hillelis Doctoris insignis discipulos clariores memorantur Jonathan filius Uziel, cuius paraphrasis Chaldaica in vet. Testam. magna ex parte exstat; & Simeon Justus filius Hillelis, pater autem Gamalielis, & avus Simeonis junioris. Hic Simeon Justus Christum ulnis excepit, & in ipso spiritum Synagogæ magnæ (qui erat Prophetico minor, communi major) defecisse, autores sunt Talmudici in Tract. Pirke Avot. Idem sentit Rabbi Moses Ægyptius, qui non tantum Hillelis discipulum Simeonem hunc Justum fecit, sed etiam filium, & Gamalielis patrem, & præceptorem. Genebr. p. 200. De Judæorum Doctorum Scholis vide Lamy pag. 194. Hieron. & Genebr. locis cit. atque alios.

Verum, ut post Præceptorum doctrinam de Judæorum discipulis etiam verba faciamus: sciendum, quod postquam quis eorum profectum suorum speciem aliquod dedisset, & gradu aliquo dignus inventus esset, siebat consors, sive socius alicujus Rabbi per manum impositionem, sicut & Moses olim socium sibi sumpsit Josuam, sicut habemus Num. c. 27. v. 18. Quando vero Rabbi suo Talmid (sic enim discipulus hebraicè dicitur) manus imponebat, haec loquebatur: Ego tibi impono manum, & manus tibi imposta esto. Idem vero Talmid ubi aliis docendis aptus erat, Rabbi vocabatur, & in Cathedra sedebat: nam usque dum Talmid erat, in scanno, sive depresso subsellio ad pedes sui Rabbi confidebat.

R E C H A B I T Æ.

Postquam Josaphat Rex Juda Israëlitarum Regi Achab fædere junctus est; congregati sunt cum Rechab, & filio ejus Jonadab Iudæi quidam Prophetae contra Sacerdotes Baal; quæ Rechitarum Secta ab institutore Rechab dicta est, duravitque usque ad tempus Jeremiæ, ad obsidionem scilicet Jerusalem, quo se contulerunt post destructionem eorum solitudinis factam à Chaldaeis.

Rechabitas natione facit Madianitas eruditissimus Witsius in dissertat. de Rechabitis, quos ex distributione terræ Chanaan olim Chananæos vocatos ait; eosque Mosi in deserto se junxisse, & in Tribu Juda adnumeratos esse refert.

Hos

Hos Sanedrin asseffores Rabbinorum plerique crediderunt : sed eos tefellit cit. Witsius , nec putat , hoc magnum Judæorum Consilium in captivitate durasse .

Rechabitarum vitæ austoritatem narrat , & celebrat Petrus Martyr , & Jezemias c. 35. qui eos iussu Domini in domum Dei introducens , eis vinum ad bibendum tradidit , qui responderunt : *Non bibemus vinum , quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens : Non bibetis vinum vos , & filii vestri usque in sempiternum ; & domum non ædificabitis , & sementem non seretis , & vineam non plantabitis , nec habebitis ; sed in tabernaculis habitabitis , cunctis diebus vestris , ut vivatis diebus multis super terram , in qua vos peregrinamini . Obedivimus ergo , &c.* Quam resistentiam , & à vino abstinentiam à Deo remuneratam refert Witsius . Petrus Martyr refert , eos in Mundi peregrinatione illas semper regiones quæfivisse , ubi pax , & abundantia vigebant , pastoralemque vitam , quam à patribus suis acceperant , retinuisse .

Hujus Sectæ , præter alios , fuisse Daniel traditur , qui leguminibus , & aqua etiam in Chaldæorum Regis palatio vescebatur . Unde placuit hic Dario , qui eum fecit unum ex tribus Principibus , quos super 120. Satrapas Regni constituerat . Vide Joseph. 2. de Bell. Jud. 7. aliosque . Dicti sunt Scribæ , seu Doctores 1. Paralipom. 2. versu ult. & in Chronicis passim .

ESSÆI , SIVE ESSEN'I .

Celebres quoque fuere inter populi Dei philosophos Essæi , quos Plinius l. 5. c. 17. Effenos vocat , eorumque vitam sic nobis describit : *Gens sola , & in toto Orbe præter cæteras mira , sine ulla famina , omni venere abdicata , sine pecunia , socia palmarum . Et mox subdit : Ita per seculorum millia , incredibile dictu , gens æterna est , in qua nemo nascitur . Tam fœunda illis aliorum vitæ pœnitentia est . Porphyrius fusius eorum mores , & instituta persequitur occasione Αποχῆς Abstinentiæ eorum insignis : sed ex Josepho omnia mutuantur . Vide etiam Euseb. in Præpar. Evangel. & Phil. Jud. De his ita Petr. Cun. de Rep. Hebr. l. 2. c. 17. Ex quibus debinc Essæi tertium genus orti , religionum sanctimoniam omnem paulò magis scrupulatim ad annias quasdam superstitiones exegerunt .*

Essæos Rechabitarum successores quidam faciunt , eo quod eis in moribus , & doctrinis similes erant . Eorum autem originem quidam ducendam censem ab iis , qui , ut Legem facilius adimplerent , sub Juda Machabæo in desertis locis se abdiderunt . Lamy verò in suo Appar. Bibl. putat , Essæos , sive Effenos sic dictos quasi Hassidæos , quæ vox idem Hebraicè sonat , ac Pius , Sanctus . Et in Scriptura Hassidæi quidem appellantur , qui Judæ Machabæo adhaerunt . Notandum tamen hic est , Essenorum sectam à Josepho inter hæreticas , & schismaticas ideo adnumerari , quod cauſantes , se sanctioribus ceremoniis uti ; in Templo Jerosolymitano sacrificare nollent ; hinc à reliquis schismate erant divisi , & superstitionibus quibusdam tenebantur , etsi eorum sectam orthodoxam multi crediderunt . Saducæis , Samaritis , & Bajethosæis (quæ tres sectæ in unam jam coaluerant) adversabantur , quod hæ sectæ cupiditatibus , & impietatibus vacabant . Fato multa tribuebant , & Astrologiæ operam dabant , ex Epiphonio . Σοφοι sapientes à multis vocabantur .

Philo in lib. *Omnes probos esse liberos , sic præclare Essæos describit : In Syria , & Palæstina , quæ partes sunt Judæorum haud modicæ , dicuntur quidam nomine Essæi numero ultra quatuor millia , à voce græca οὐροι , Sancti sic appellati , quia summa religione Deo serviunt , non maciendo viandas , sed suasmē-*

suas metis forum mentes componendo ad sanctimoniam. Hi vicatim habitant, urbes fugiunt propter familiaria civibus earum vitia. Alii Agriculturæ student, alii artes exercent, quæ pacis sociæ sunt. Neque aurum, neque argentum sibi condunt, neque agros latos parant cupiditate reddituum, sed necessitate viclus. Nemo bellicorum armorum apud eos est opifex, sed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt. Servos non habent, sed liberi omnes sunt, mutua ministeria sibi exhibentes. Rationalem, & Naturalem Philosophiam respuunt, Divinam amplectuntur. Morali maximè student, patriarcharum legum auxilio usi, quas præcipue septima die docent. Imbuuntur autem Sanctitate, Justitia, ceterisque virtutibus tres regulas adhibentes, Dei, Virtutis, Hominumque amorem. Deum illos diligere, illud est indicio, quod perpetuam castitatem servent, jusjurandum, & mendacium non dicant, & quod bonorum omnium, nullius verò mali autorem esse Deum arbitrentur. Virtutis studiosos esse ex eo perspici potest, quod pecuniam, & gloriam negligant, voluptates respuant. Hominum verò caritate flagrare indicat amor, & societas inter eos. Una est enim omnibus domus, una vestis, unum ærarium, unus sumptus, communis viclus, & vita. Quin etiam quæstus in commune conferunt, ægrotantes communiter curant, & seniores loco parentum habent.

Sed Essæorum vitam, & instituta fusiū hūc ex Josepho 18. Antiquit. 2. & 2. de Bello Jud. 7. tradere animus est: eorum namque secta probitate, fama, & religione Phariseorum, & Saducæorum sectas superabat. Erant igitur Essæi summè continentes, divitias, luxum, & voluptates contemtui habentes, omnia in communi possidebant: juvenes, & pueros, qui se illis committebant, nonnisi post longas preces, & post annum probationis, suo cætu adnumerabant. Ubi verò ipsis adnumerati erant, omnia eorum bona communi cætu adscribebant. Cùm verò juvenes post annum probationis in suos recipiebant, eos hæc solemniter vovere faciebant: Deum scilicet supremo cultu adorare: Principes, & Magistratus venerari: nulli nocere: Justitiam facere; & omnibus æquè professe. Si verò quis eorum eo quod male vivoret, ab eorum cætu abscondebatur, vel ultrò discedebat, nonnisi post longam, & asperrimam pœnitentiam, & preces, in integrum restituebatur. Ab hominum commercio, & civitatum tumultu remoti, & simplici vieti contenti vivebant. Diem inchoantem silentio, & precibus suscipiebant. Deinde quisque eorum proprio muneri exercendo, vel libris tūm sacris, tūm profanis, hoc est qui de herbarum, lapidum, & metallorum natura, & viribus tractabant, evolvendis, vacabat. Omnes una congregati mensæ assidebant, quæ à precibus inchoabat, summo silentio perficiebatur, & gratiarum actione desinebat. Horis quoque pomeridianis ad cœlestes contemplationes, & librorum lectionem incumbebant. Eorum doctrinæ à doctrinis Phariseorum in hoc solūm discrepabant, quod Pharisei multa fato tribuebant. Essæorum vita propter singularem animi tranquillitatem, & frugalitatem ultra centum annos erat. Eorum mores, & vivendi consuetudo Prophetis, & Rechabitis in omnibus similes erant; adeo ut à quibusdam Ecclesiæ Patribus pro Christianis habiti sint, quos Philo Therapeutarum nomine nobis descripsit; & Joseph l. 10. c. 13. Pythagoreis affines, & 2. de Bell. c. 12. Religiosis nostris similes fecit, eorumque sectam Orthodoxam dixit. Quæ credebant, non solum tormentorum tolerantia, sed morte etiam confirmabant. Animam, quam immortalē credebant, è Cœlo in corpus per tractionem quamdam descendisse affirmabant; quæ deinde anima è corpore tanquam è carcere læta egrederetur, ut ad Paradisum voluptatis, quem ultra Oceanum pro animabus justis locabant, reverteretur; contrà verò antra obscura ad æternam impiorum pœnam agnoscebant. Vid. Joseph loc. cit.

P H A R I S Æ I.

ERAT quoque Pharisæorum secta (qui ab Hebræo *Phares*, quod est *dividere*, dicti sunt; erant namque moribus, dignitate, & habitu à reliquis divisi) quæ etiam Orthodoxa Josepho dicitur. Rigidi legum observatores erant: hominem liberum ponebant, & animam immortalem credebant, quæ post mortem in alia corpora transiret, si bene viveret, vel æterno suppicio sepulta foret, si male se gereret. Omnia Deo, & Fato tribuebant. Pharisæorum secta propter excellentem doctrinam, & morum (apparentem tamen) probitatem populo venerationi habebatur. In medio populorum habitabant, omnes fere ambitiosi, & lucro summe dediti. Decimas vel minimarum etiam rerum persolvebant, Matth. 23. 33. Ad seipso, vasa, & omnia mobilia lavanda, & purificanda nimis intenti, Marc. 7. 4. Admodum quoque superstitione sabbata observabant, Johan. 9. 16. & Matth. 12. 2. Sæpius jejunabant; plures adhuc bis in hebdomada, die scilicet Lunæ, & Jovis, Luc. 18. 12. Phylacteria, & fimbrias ampliores, quam vulgo, gestabant, Matth. 23. 6.

Erant autem Phylacteria Scripturæ quædam, quibus aliqua legis dicta asservabantur, ἀπὸ τῆς φυλακταρίας, custodire; quæ Phylacteria fronti, & lævo brachio alligata portabant ad significandum, se quotidie legem ante oculos, & præ manibus habere, juxta præceptum Deuteron. 6. 8. Fimbriæ vero erant flocci varii coloris, quos palliorum angulis alligabant, ut sensibile, & continuum legis monumentum ipsis esset, ex Num. 15. 38. Quæ externa legis insignia Iudæi etiam nunc Synagogam ingredientes portant. Vid. Buxtorf. Synag.

Eleemosynam Pharisæi palam dabant; & faciem suam flavo colore tingebant, ut viderentur frequenter jejunantes, Matth. 6. 2. & 5. 16. Magnam ab eo injuriam sibi fieri putabant, qui impurus existens ipsis tangere ausus esset: impuros autem ipsi habebant non solum gentiles, & publicos peccantes, sed omnes etiam sibi odiosa exercentes. Tandem eorum sanctitas non erat nisi superbia, ambition, & lucri cupiditas. Dulcibus suis discursibus populum, & præcipue feminas seducebant, ut se propriis divitiis privantes, eas ipsis darent sub prætextu, quod ipsis populus Dei essent, & Legis Depositarii, Matth. 2. 14. Pharisæorum sectam Act. c. 26. v. 5. accuratissimam Apostolus vocat, eo quod cæteris sectis autoritate, & doctrina præstaret.

Pharisæorum ordo natus est sub Alexandro, & Demetrio Syriæ Regibus, an. scilicet Mundi 3944. Urbis cond. 585. Jonathan an. 18. ex Josephol. 13. Antiquit. c. 9. 18. & 1. 18. c. 2. & 2. de Bell. c. 7. Ben Gorion Hist. Judaic. 14. c. 25. refert, illorum sectas septem fuisse; & contra Saducæos docuisse, Traditiones religiosæ servandas. Apud plebem, quæ ipsis maximè adhærebat, plurimum poterant; & à multis Σοφοῖς, Sapientes dicebantur.

SADUCÆI, BAJETHUSÆI, ET KARRÆI.

SAducæorum sectam principem sectam appellat Petrus Cunæus de Rep. Hebr. l. 2. c. 17. inquiens: *Diximus, principes sectas tres fuisse, Pharisæorum, Saducæorum, Essæorumque.* De nomine Autorum Sadoc, & Bajethos sic dicti sunt. Hi namque Antigoni Sochæi boni præceptoris mali discipuli, Saducæorum, & Bajethusæorum sectas condiderunt: quas duas sectas in unam deinde coaliuisse, & suo etiam tempore Constantinopoli, alibique perseverasse, refert Genebr. Chronol. l. 2. Sunt inter Judæos, qui scribunt, hunc Antigonum Sochæum claruisse an. Mundi 3460. ex Lamy Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Hæ sectæ negabant

omnem legem ore traditam, nec ulli rei fidem habebant, quæ quinque Mosaicis libris non contineretur: unde Karaim, Biblici, & Legistæ dicti sunt. Hanc autem Saducæorum sectæ opinionem ortam dicunt ex quodam Antigoni dicto aliter accepto, quam ipse intellexerat. Dicebat enim Antigonus: *Ne sitis sicut servi, qui Domino serviunt pro pretio, & mercede, sed sicut servi, qui serviunt gratis citra spem ullius mercedis; sitque timor cœli super vos.* Quam Antigoni sententiam sic perperam ejus discipuli interpretati sunt, quasi inde sequeretur, à Deo nihil præmii esse expectandum.

Hæc deinde Saducæorum secta Samaritam sub Alex. Magno à quodam Mannasse excitatam sibi addixit, multosque ob naturalis sensus libertatem habuit sectatores ad Romanam usque captivitatem; quo tempore ita debilitata est, ut nonnisi 700. post annos efferre se cœperit, autore quodam Anan, & Saule ejus filio, qui eam in Judæorum populo, quantumvis exiliis afflito, renovasse dicuntur, eò quod Anan Talmudici doctoratus insignia, hoc est, esse Gaon non potuerit consequi. Unde docuit in suis libris, fabulam esse quicquid Talmudici dicerent, vel quicquid per Traditiones, & ritus à sanctis viris per ordinem deduxerint. Hæc eadem secta, quam Joh. Leo suis etiam temporibus in Africa existare dixit, magistratibus non obtemperandum docebat.

Alexandra, & Aristobulus favebant Saducæis, Hircanus Pharisæis: unde & civilia bella, & Romanum denique jugum, Pompejo ambas partes multante. Genebr. Chronol. l. 2. ex Josippo, & aliis. Saducæorum quoque secta ex Josepho lib. 13. Antiquitatum c. 9. 18. & lib. 18. c. 2. & lib. 2. de Bell. c. 7. orta dicitur sub Demetrio, & Alexandro Syriæ Regibus an. Mundi 3944. Urbis cond. 585. Jonathan an. 18. Sed Lamy in Appar. Bibl. tempus, quo Saducæi cœperint, ignorari fatetur.

Saducæi interpretantur *Justi*, non quod tales fuerint, sed speciosum hoc iustitiae nomen sibi vendicabant. Hæc secta divitibus, & magnatibus ut plurimum componebatur, quibusdam etiam Sacerdotibus, quibus ob sensus libertatem arridebat. Sacrum Codicem secundum literam tantum recipiebant Saducæi; unde nec Prædestinationem, nec Resurrectionem, nec Animæ Immortalitatem, nec Angelos, nec Spiritum Sanctum credebant. Prophetas, Hagiographos, Masoreth, & omne Perus, hoc est, Traditiones Patrum, & omnem Legis expositionem rejiciebant. Et id serè in Judæa Saducæi erant, quod Samaritani in Samaria. Tanti denique inter Pharisæos, sive Catholicos, & Saducæos tumultus in gubernatione exorti sunt, ut Judæam tandem perdiderint. Voluptatibus detiti nonnisi obtemporalem bonorum retributionem Deo serviebant. Vide Fleury de Morib. Israël. c. 6. & Genebr. Chronol. l. 2. Sacrificabant in Templo, & inter Judices Synedrii sedebant, ut ex Act. Apost.

Karræos, quia cum Saducæis in omnibus conveniebant, ita ut eosdem cum illis quidam fecerint, meritò hīc ponimus. Hi numero in oriente non pauci. Karræi per contemptum vocabantur à Judæis Manseim, hoc est, Spurii, & pro pessimis hæreticis habebantur. Contrà verò hi odio habebant Judæos, eosque appellabant Rabbanitas, quod Rabbinorum traditionibus uterentur. De Karræis, quos Karraitas vocat, ita Petr. Cunæus de Rep. Hebr. l. 3. c. 8. Est factio eorum quædam cordatior. Ii sunt Karraitæ, qui spretis hominum placitis Talmudica præcepta pro nugamentis babent, & nihil admittunt, nisi Sacri Codicis contextum. Sed id hominum genus ceteris Judæis invissimum est. Itaque cum sint oppido pauci, sed ad unum omnes ditissimi, filias suas cum dote summa vix dare nuptum queunt.

S A M A R I T A N I.

INTER sectas Judæorum Schismaticas primo loco ponenda Samaritanorum secta est, quæ originem habuit à Jeroboam filio Nabath, qui prætextu jugi, quod Roboam Rex populo volebat imponere, decem sibi Tribus allexit, & in Tribum Ephraim, ex qua erat, se recepit, ibique novum Regnum instituit, quod dictum est Israël, quia major pars Tribuum Jeroboam adhæserat. Judæis vero in contemptum Ephraëmitæ à Tribu Ephraim appellati sunt. Samaritani autem dicti sunt à monte, & Urbe Samariæ; nam, stante primo Templo, quod erat nomen Urbis, deinde fuit nomen Regionis, cujus Metropolis erat Sichem, quæ & Neapolis dicta est.

Hi cum Gentilibus, hoc est cum Chutæis sub Salmanasar, decem Tribus captivas abducente, commixti sunt, ritusque pariter Religionis permixtus. Sed Ethnicum dediscere cœperunt Samaritani post extructum Templum in Monte Garizim; cujus constitutus fuit Pontifex Manasse filius Jaddi Judæorum Pontificis. Cæteris Scripturæ libris reiectis hi solum Pentateuchum retinuerunt, in Schismate permanentes, eo quod crederent, se non teneri ire Jerusalem ad Deum adorandum, quod Dei cultus priùs viguisset in Ephraim, quam Jerusalem; Arca enim Domini diu fuerat in Silo juxta Ephraim.

Notandum hinc est, odium illud, quod Samaritanos inter, & Judæos exarserat, eò devenisse, ut Judæis non liceret cum Samaritanis edere, nec bibere. Unde notatur etiam in Johan. c. 4. v. 9. Samaritanam illam mulierem miratam nimis esse, quod Jesus, qui Judæus erat, aquam ab ipsa peteret. Dispar autem Religio, & vicinia tanti caussa odii fuerat. Samaritani etsi in quatuor sectas contra legem Mosis discissi; in hoc tamen cum Saducæis præcipue conveniebant, quod Prophetas minimè reciperent.

Z E L O T Æ , S E U G A U L O N I T Æ .

JOSEPHUS Antiqu. I. 18. c. 1. aliam Judæorum sectam recenset, eorum scilicet, qui sectati sunt Judam Gaulonitem ex Urbe Gamala, quos doctiss. Lamy in Appar. Bibl. I. 1. c. 9. eosdem putat cum iis, qui in Hist. Judaica Zelotæ appellantur. Hujus autem Judæ doctrinam, & novæ sectæ condendæ occasionem tales Josephus refert. Pulso Archelao in exilium, Judæa redacta est in Provinciam, & à Romanis censa, ut vectigalibus subjaceret. Tum Judas Gaulonites ex Urbe Gamala sollicitavit populos ad defectionem, censum nihil aliud esse dictans, quam manifestam servitutis professionem. Multi præbuere aures sermonibus ejus, & quasi alteri, quam Deo servire illicitum fuisset, jugum Romanorum excussere. Sic de ipsis Petrus Cunæus de Rep. Hebr. I. 2. c. 17. *Utiq[ue] Gaulonitæ perniciacissimæ pietatis homines, ut Cæsarem de cervicibus suis depellerent, solum Deum tenere terrarum regna jactabant.* Et omnes qui-dem Judæi in genere putabant, indignam sanè rem esse, se peregrino populo vectigalia pendere; Deus enim Deuter. c. 17. prohibuerat, ne Rex alienigena, sed unus de fratribus eligeretur. Hinc Judæi pro exitialibus fere hominibus habebant Publicanos, quia scilicet publica vectigalia ipsis à Rom. Pop. imposita erant.

Ira factum est, ut cum omnes Judæi Romanos odio haberent, aliqui tamen zelo magis exarserint, ut secta peculiaris eorum, qui Judam sectabantur,

instituta sit. Hi se justos dicebant, credentes, solum Deum Dominum habendum, ac principem, seque facilis exquisitissima pœnarum genera cum cognatis, ac carissimis suis laturos jurabant, quām mortalem aliquem appellaturos Dominum.

HERODIANI.

Judæorum sectis adjungit Epiphanius Herodianos, quorum etiam mentio fit in Evangelio, sic dictos, vel quia crederent, Herodem Ascalonitam esse verum Messiam, ut vulgaris fert opinio; vel quod Herodis domestici essent, ut aliis placet. Erant enim inter Judæos, qui Herodi, tanquam Regni usurpatori, fortiter resistebant: unde qui pro eo erant, & ipsi palam suffragabantur, Herodiani dicti sunt.

NAZARÆ I.

Idem Epiphanius reliquis Judæorum sectis adnumerat Nazaræos. Sic autem à Judæis Christianos appellatos novimus etiam ex Divo Hieronymo, qui citat Evangelium Nazaræorum Hebraico idiomate scriptum. Et quidem Christi sectatores Antiochiae primùm Christiani appellari cœperunt; à Judæis vero in Judæa per despectum dicti sunt Nazaræi, eo quod crederent, Dominum Jesum in Nazareth oppidulo natum: hinc sub hoc nomine ter de die Christianis in Synagogis maledicebant.

HELLENISTÆ.

Sic dicti quasi Græcisantes, eo quod Græca Sacrorum Bibliorum versione, non Hebræa in Synagogis uterentur. Hinc Hebræis, quia Schismatici, odio habiti, et si nulla doctrinarum ~~τρεποδοξία~~ ab ipsis dividerentur. Odii etiam caussa erat, quod Hebrei Græcorum studia ita abominabantur, ut Rabbini illi maledicerent, qui porcos aleret, & Græcorum studia filios suos edoceret.

Hujus autem sectæ occasio fuit, quod postquam Hebræa lingua vernacula esse desiit, Sacra Biblia græcè primùm reddita sunt Alexandriæ: unde Hellenistarum origo à Græcis Alexandrinis ducenda videtur. Notat doctiss. Lamy Appar. Bibl. l. i. c. 9. Græcos (quos inter, & Hebræos etiam Christianam Religionem amplexatos dissidia viguisse in Act. Apost. legimus) non Græcos idololatras reputandos, sed Hellenistas, cum Græci idololatræ eo temporis nondum albo Christianorum adscripti fuissent, uti erant jam Hellenistæ. Hi Pythagoram in doctrina sectati sunt.

ALEXANDRINI.

Schismatica quoque hæc secta Alexandrinorum erat, ut notat Philo; hi enim, contra expressum Dei præceptum, Templum, quod Onias in Ægypto extruxerat, adeuntes, ibi, & non in Jerusalem, sacrificabant. Schismate autem tantum à Judæis Hierosolymitanis divulsi erant, doctrina in omnibus consentientes, & Jerusalem Judaicæ gentis caput agnoscentes.

Sunt & aliæ sectæ minoris notæ, ut EFNEI, qui dicunt ipsum esse Christum, qui docuit eos omnem abstinentiam. MORBONEI, qui ipsum etiam Christum esse, qui docuit eos in omni re sabbatizare. MERISTEI, qui Scripturis ex parte credunt. GENISTEI, qui de genere Abrahæ se esse gloriabantur.

Et tan-

Et tandem HEMEROBAPTISTÆ sic dicti, eo quod quotidie vestimenta, & corpora sua lavarent.

Verbum hic addam de secta RANATITARUM, Judæorum scilicet ranas venerantium, quam memorat Philastrius in Biblioth. Patr. Sup. Verum licet Judæi venerationem aliquam pro ranis omnes habuerint, quod Deus per ipsas Ægyptios afflixerit; nullibi tamen invenitur, fuisse apud Judæos gentem, quæ peculiari cultu ranas veneraretur. Plura de Hebræorum sectis qui cupit, adeat Isidor. 8. Orig. 4. Josephum, Philonem, Fleury de Mor. Israël. Lamy App. Bibl. atque alios.

C A P U T II.

De Chaldaeis, eorumque sectis.

Chaldæi, qui, ut testis est Aristoteles in Magico, si Aristotelis hoc opus est, & Sotion de Successione, referente Laërtio, Babylonios, & Assyrios Philosophiam docuere, antiquissimum Doctorum genus sunt, ut ait Cic. l. i. de Divinat. Sed Chaldæorum nomen gentis, an artis fuerit, dubium est apud autores. Herodotus, Cicero, & alii, hoc gentis, non artis nomen esse, opinantur. Chaldaei enim, ut ait Diodorus, disciplinas non more Græcorum propagabant, qui omnes auditores eas promiscue docebant, sed per generis, & familiæ traditionem eas in natione conservabant. Imò & inter ipsos familiæ quædam peculiares erant studiis addictæ, quæ propria sibi sede concessa, immunem publicorum onerum, & vestigialium vitam ducebant. Hinc Cic. l. cit. ait, quod non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati sunt.

Doctiss. Stanlejus habet, Chaldaææ regionis accolas dictos esse Chasdim quasi Chusdim à Chuso Chami filio. Et Hesychius Χαλδαιος interpretatur Μαγοι πατερα γνωσοντας, genus Magorum, qui omnia noscunt. Sed Dicæarchus, in Vita Græciæ, citatus à Stephano in voce Χαλδαιοι, ait à Nino decimum quartum Regem, qui appellabatur Chaldaeus, Babylonem celeberrimam Urbem ad Euphratem fluvium ædificasse, omnibus in eundem locum collectis, qui Chaldaæ dicuntur, & dici regionem Chaldaæam. Sic & eruditiss. Joh. Cleric. à Rego ejusdem nominis potius Chaldaæam dictam putat. Ex Marcellin. etiam habemus, dictos fuisse Chaldaeos non ab Arphachsad, ut Josephus vult; nec à Chased filio Nachor, sed sectæ nomen fuisse, quæ postea in gentem excrevit.

ZOROASTREM Chaldaicæ Philosophiæ, omniumque artium inventorem fuisse, omnibus in confessu est. Sed etsi multi numerentur Zoroastres fuisse, de quibus fuse laudatus Stanlejus; nulli tamen dubium est, quin primus Zoroastres, Chaldaeus scilicet, sive Assyrius, artium, & scientiarum apud Chaldaeos inventor extiterit. Quo autem tempore vixerit, magna inter autores dissensio est.

Scripsit hic, ut refert Plin. l. 30. c. 1. vicies centena millia versuum, quos Hermippus indicibus, & commentariis illustravit. Oracula, quæ forte antecedentium versuum partem aliquam faciunt, & in quæ Syrianus duodecim libros interpretationum scripsit; summo labore ex pluribus collegit, & typis edidit Franciscus Patricius aucta ad 320. versus; quos, ex Patricio, in sua Philosophiæ Hist. græce, & lat. habet cit. Stanlejus, cum notis ad ipsos τὰ πάντα Johannis Clerici, de literaria Rep. viri optimè meriti. Zoroastri etiam tribuitur liber de Magia, quem laudant Arabes. Autorem etiam ipsum quidam faciunt libri de Agricultura, & Mechanicis, Revelationum, de Somniis, eorumque interpretationibus; sed hæc aliis Zorastris recentioris, vel apocrypha censent eruditi.

BELUS secundum inter Chaldæos Philosophos locum sibi vendicat , cui Astronomiæ inventionem quidam tribuunt . Huic Semiramis filia Templum præcelsæ altitudinis media Babylone erexit , ex quo Chaldæi astra contemplabantur . De Belo historiam lege apud Ælianum Var. Hist. l. 13 . c. 3 . Sed aliis minoris notæ Chaldææ gentis Philosophis prætermissis , ad Berosum veniamus .

BEROSUS , Græcis Βέρωνας circa Ptolemæi Philadelphi tempora vixit . Chaldæorum Philosophiam , & Astronomiam tribus libris à se scriptam Græciæ intulit ; hinc , ut autor est Plin. l. 7 . c. 37 . Ob divinas prædictiones et ab Atheniensibus publicè in Gymnasio statua , inaurata lingua , posita est . Horum librorum meminere præter alios Tertullianus , Athenæus , & Clem. Alexandr. Hujus operis præclara nobis fragmenta conservavit Josephus l. 1 . contra Apion . & l. 5 . Antiqu. Jud. Vitruvius l. 9 . c. 6 . 7 . testatur , hunc Berosum in insula , & Civitate Coo consedisse , ibique aperuisse disciplinam .

Berosi filiæ meminit Justinus Martyr in Paræn . quam Babyloniam Sibyllam vocat , eamque Cumis vaticinatam cum cæteris Cumanis Sibyllis voluit . Atque hæc de Berofo , & Chaldæis Philosophis .

Chaldæorum Sectæ , vel à sedibus , quas in sua regione tenebant , vel à disciplinis , quas profitebantur , nomen sortitæ sunt . Et à locis quidem alii Orcheni ab Orchoë Chaldææ ; alii Borsippeni à Borsippe Babyloniam ; alii aliis nominibus insigniti , & distincti erant à locis , ubi degebant : atque hi , ut in sectis fieri solet , aliter atque aliter de rebus statuebant . Qua de re præter alios vide Strabon. lib. 16 . ex quo id præcipue habemus , quod quædam fuit Babyloniorum Philosophorum secta , quæ ex naturalibus hominum iis eventura se prædicere profitebatur . Sed hæc à cæteris non probabatur .

Potissimum autem Chaldæorum Philosophorum Sectæ nomen à disciplinis , quibus se addixerant , sortiebantur . Harum vero Sectarum præcipuas quatuor fuisse multi ex Daniele Propheta colligunt , qui accersitos à Nabuchodonosor omnes Doctos ad sui somnii interpretationem in quatuor classes distinguit , Hartumim scilicet , Aschaphim , Mechaschephim , & Chaschdim .

Hartumim , secundum Abarbanel , dicebantur Magi rerum naturalium periti ; sive , secundum Jachiadem , Magi , qui Theoreticam scientiam colebant . Et quidem hi cognoscendæ rerum naturæ operam dabant : quæ contemplatio Theologiam , & Physicam , seu cognitionem Dei , rerumque naturalium complectitur .

Aschaphim à cit. Jachiade dicuntur Magi , qui scientiam activam colebant ; & quamvis vulgo exponantur Astrologi , potius tamen convenire videtur cum Magis Persarum , qui Sacerdotes , & rituum , quos magicos appellabant , erant Magistri .

Mechaschephim dicebantur Revelatores rerum absconditarum ; unde Moses Machmanides , Abarbanel , aliquique putant , eos diabolicis artibus usos , non secus ac ii nunc , quos Sortiarios vocamus .

Chaschdim , quos Strabo Chaldæos Astronomicos vocat , quamvis omnibus Chaldæis eruditioni addictis peculiariter attributum nomen fuerit ; inter eos tamen potissimum sic vocabantur , qui Astrologiæ , qua præ cæteris nationibus excellebant , operam dabant . Ab his Pythagoram astrorum scientiam hauisse testatur Porphyrius in Vit. Pythag. Et Gell. 14 . 1 . ait , primos Chaldæos in patentibus campis stellas observasse : quare Eudoxus , referente Petron. & eodem Gell. 17 . 21 . in excelsissimi montis cacumine consenuisse creditur , ut astrorum , Cœlique motus observaret . Chaldæos etiam , & Babylonios magistros habuit Democritus , ut refert Ælian. Var. Hist. 1.4.c.20 . sub quibus multum profecit ; unde & librum scripsisse meminit Laërt. De Sacris in Babylone

lite-

literis, & Orationem de Chaldaeis. Imò & Aristoteles, magnus ille naturæ indagator, Callistheni consobrino suo, & discipulo cum Alexandro in Asiam eunti in mandatis dedit, ut earum rerum, quas Chaldae in Cœlestibus obser- vassent, commentarios ad se mitteret; cui Callisthenes bis mille circiter anno- rum observationes misit, ut est apud Simplic. in Aristotelem l. i. r. de Cœlo.

Ex modò dictis colligitur, omnem Chaldaicam doctrinam in quatuor par- tes fuisse distributam, in contemplationem scilicet Divinarum, humanarumque naturarum, hoc est, in Theologiam, & Physicam, quam partem utramque exercebant Hhartumim: in Ritus Religionis, quam secundam partem Ascha- phim tenebant: in Divinationem ope Astrologiæ, quæ tertia pars propria erat Chaschdim: & in Divinationem ope aliarum artium, quam ultimam Mecha- schephim faciebant. Ex quibus duas posteriores Diodor. Astrologorum nomine, duas vero priores sub Physicorum, & Sacerdotum nomine complecti visus est, dum ait, Chaldaeos imitari Sacerdotes Ægyptios, adhuc autem Physicos, & Astrologos.

Et ut ad Chaldaeorum doctrinam propriùs considerandam accedamus, scien- dum primò est, Zoroastrem omnem naturam divisiisse in Æternam, quæ prin- cipio, & fine caret; in eam, quæ principium habuit, sed non habet finem; & in eam, quæ finem æque habet, & principium; sive in Deum, Spiritus, & Corpora.

De Deo quām optimè senserint Chaldae, testis est præter alios Euseb. Præp. I. 9. c. 10. & sequens Oraculum à Porphyrio laudatum:

Μῆνοι Χαλδαῖοι σοφλαν λόγου, ἡδὸν αἱρέταις.

Αὐτογένεσθλον ἀνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἀγνῶστον.

Chaldaeis solis Sapientia cessit, Hebræisque,

Æternum casto venerati Numen bonore.

Deum enim rerum omnium Principium unicum, cunctorum parentem, ac re- gem agnoscebant, ac rebus omnibus præsidere dicebant. Et Zoroastres passim in oraculis ipsum vocat Πῦρ, Ignis, Φῶς, Lux, Αὔγα, Radii, & Φέγγος, Splendor.

Ex hoc Igne, sive Lumine diffunduntur radii ad infinitum lucidum spa- tium, Υπερφύσιμον φῶς Supramundanum Lumen, sedem scilicet Beatorum; & ex hoc illuminatur mundus corporeus, seu Cœlum Empyreum; ex quo æthereus illustratur; & ab hoc demum lumen ad sublunarem mundum procedit.

Quoad secundam naturam, eam scilicet, quæ Æviterna à scholis vulgo di- citur, quia principium haber, sed non finem, Chaldae sub hac ponebant Deo- rum genus, quod sub Deo patre, & rege collocatum testatur Eusebius, Mentes hominum, & intelligibiles, & intellectuales omnes naturas, seu Nonnæ, & Noegæ, Dæmones bonos, & malos; quorum primos Lucem, secundos Tene- bras vocabant.

Non solùm autem Veri, Æterni, Summi, omnium Principii, & Finis, & in sua essentia Unius Dei scientiam, & cultum Chaldae habebant, sed ejusdem Triadis mysterium agnovisse, ne dum ex Psello colligitur, qui ait: *Vene- rantur etiam fontanam Triadem fidet, veritatis, & amoris; sed ex ipsis Zo- roastris Oraculis v. 5. clarum fit, ubi ait:*

Πάντες γὰρ ἐν κόσμῳ λόγου Τεράς, ἡς Μονάς ἀρχη.

Toto enim in Mundo lucet Trinitas, cuius Unitas initium est.

Quam Trinitatis scientiam Chaldae, ut & cæteras Divinas, humanasque sci- entias, nonnisi ab Hebræis per Traditionem edociti sunt.

Tertia natura eorum est, quæ principium, & finem habent. Sub hoc ge- nere primò ponit mundos corporeos Zoroastres quos septem numerat, Empyreum scili-

scilicet; tres Æthereos, sphæram nempe Fixarum, & Sphæram Erraticarum, & Ætherem inter Empyreum, & Sphæram Fixarum; & denique tres Mundos materiales dictos, Aërem scilicet, Terram, & Aquam; sic enim in Oraculo. *Terram in medio posuit, Aquam vero in sinu Terræ, & Aërem supra hæc.*

Dæmonum genera sex ponebant, Igneum scilicet, quod per aërem, qui supra nos est, sed infra Lunam, volitat; Aëreum, quod per aërem nos ambientem vagatur; Terrestre; Aqueum; Subterraneum, & Lucifugum. Omnia tamen hæc Dæmonum genera Dei odio flagrare, atque hominibus adversari docebant; esse tamen alia aliis pejora. Atque hæc breviter de doctrina Hharumim.

Secunda Chaldaicæ doctrinæ pars in divinandi artibus sita, præcipue in Astrologia versabatur, cuius Chaldæi inventores, vel saltem instauratores habitissunt. Astrologiæ partes duas excolebant, Meteorologicen scilicet unam; quæ stellarum motus considerabat, Apotelesmaticen alteram, quæ ad Divinationem propriè pertinebat: harum primam deinde Græci Astronomiam, secundam Astrologiam dixerunt.

Astronomia docebat, omnium vitas, & actiones pendere à stellis fixis, & erraticis, earumque multiplici cursu humanum genus gubernari; ex ipsis autem septem stellas, seu planetas habere rationem caussarum agentium in unumquodque eorum, quæ in vita accidunt; partes verò Zodiaci adjuvare. Deos etiam, auctore Diodoro, duodecim statuebant, quos Principes appellabant, eorumque singulis mensem unum, & Zodiaci signum unum tribuebant. Ex Planetis autem alias Beneficos, Jovem scilicet, & Venerem; alias maleficos, Martem scilicet, & Saturnum; communem autem Mercurium statuebant, eoquod cum Beneficiis sit beneficus, cum Maleficiis maleficus.

Planetarum vim non semper eandem, Zodiaci signa, & Stellas, earumque numerum, quomodo singulas humani corporis partes singulis Zodiaci signis per mutuam sympathiam tribuerint; Planetarum domos, adspectus; exaltationes stellarum, & depressiones; &c, ut uno verbo rem absolutam, quæ de Astrologiæ Theoria, & Praxi Chaldaica scripta sunt, si quis scire cupiat, adeat Stanlejum, qui ex Sext. Empir. Psello, Patricio, aliisque cuncta descripsit.

Nedum autem Astrologiam in Divinatione usurpabant Chaldæi, sed alias præter hanc divinandi artes invenere, ut ex Diodor. l. i. Maimon. & Deuteron. 18. habemus. Et quidem per Auspicio, per Somniorum interpretationem (quam Philo Judæus Abrahamo inventam refert, & ex Chaldæorum ad Nabuchodonosorem responso Daniel. 2. habemus maximo apud eos usu fuisse) per interpretationem Prodigiorum, per Extispicium, ut appareat ex Ezechiel. 21. & tandem per Necromantiam.

Chaldaicæ doctrinæ pars tertia, quam Aschaphim exercebant, Magice dicitur; eamque à Zoroastre Chaldæo inventam ait Plin. l. 30. c. 1. Hujus duo sunt genera, Naturale scilicet, & Theurgicum. Naturalis Magice omnium rerum naturalium tam cœlestium, quam sublunarium virtutes, sympathias, & effectus considerat. Per hanc Aschaphim mirabilia in rerum natura tūm in hominibus singulis, tum in Provinciis integris se facere posse, dicebant; ut animalia omnia noxia à plantis, vineis, & civitatibus fugare; grandinem cohibere; plantarum folia perennare &c. Quæ omnia per plantas, metalla, animalia, verborum pronunciationem, humanos gestus, fumum, & similia fieri putabant, fiderum ope ad id primariò concurrente. Quæ superstitiosa Naturalis Magice ad nos usque pervenit. Unde Clem. Alex. in Protrept. ait: *Magi autem suæ impietatis gloriabantur, jam se ministros habere Dæmonas, ut qui eos in suorum famulorum numerum adscriperint, & necessitate ad eos servos fecerint suis corminibus &c.*

Ima-

Imagines etiam quasdam, sive Figuras, & Signa, Græcis Στοιχεῖα dicta, sive ad averruncandum, sive ad prædicendum, sub certis constellationibus confecta, usurpabant, eaque instar Amuletorum erant.

Altera Naturalis Magiæ pars Theurgica, & ut Græcis dicitur Telestica, ex qua, ut Psellus ait in Orac. mens perficitur, quantum potest, per potentiam materialium, quæ h̄ic sunt. Hæc etiam dicitur Disciplina rituum, & opus pietatis: Θεωρητικὴ enim θεὸς ἐργον, Dei opus, hoc est opus ad Dei cultum spectans, sonat. Atque ad hanc Magiæ partem peculiariter allusisse videtur Plato in Alcibiad. i. cùm ait, Magiam Zoroastris fuisse cultum Deorum.

Theurgicis his ritibus putabant Chaldæi, Dæmonas in hominum colloquium venire; & bonos quidem elici, malos autem averruncari. Hi autem ritus in Sacrificio potissimum consistebant.

Tandem notandum est, Chaldæos Theurgico ritu coluisse quidem Deum Verum, quem omnium parentem, & regem, unum, bonum, rerum omnium Principium, & Finem &c. dicebant, ritu tamen, ex multorum sententia, idololatrico; ipsi namque nomen, & imaginem Beli (qui idem est cum Bahal Phœnicum, qua voce Hebræi Dominum vocant) tribuebant. Hinc est, quod Deus Oseæ 2.16. Hebræo populo dixit: *Non vocabis me amplius Babali*. Huic Summo Numini magnificum, & mirabile templum dicatum à se observatum describit Herodotus. Secundo loco Spiritus, quos Deos, Angelos, Dæmonas, & Animos appellabant. Animos enim partem divinæ naturæ dicebant, & immortales credebant; unde Pausan. Messeniacor. 4. p. 277. ait: *Ego Chaldæos, & Indorum Magos primos scio dixisse, immortalem esse hominum mentem. Illis autem assenserunt tum alii Græci, tum potissimum Plato Aristonis filius*. Tertio tandem loco Cœlestia Corpora, & Elementa.

Pro Coronide addam, quod Græci Chaldæorum dogmatum plurima, præcipue Aristoteles, & Plato, suscepérunt; & Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, & Proclus ea ferè omnia sunt secuti, atque ipsa tanquam divinas voces amplexati sunt. Plura de Chaldæorum doctrina qui cupit, adeat Michaëlem Psellum, qui præter Oracula Chaldajca, scripsit etiam brevem dogmatum Chaldaicorum declarationem; quæ omnia Græcè & Latinè edidit Franciscus Patricius in nova edit. de Philosophia &c. & Th. Stanleium, qui ex ipsis, aliisque sua mutuavit in Tract. de Philosophia Chaldæorum.

C A P U T III.

De Persarum Philosophia, & Sectis; & de Sabæis.

Maximum Asiæ Regnum Persis suos etiam habuit Sapientes, quos Magos appellabant Persæ æquè, ac Arabes, qui vicinis Chaldæis, sicut & hi Hebræis omnem suam eruditionem acceptam ferebant. Persarum Magi sic nominati dicuntur Herodoto l. i. c. 107. quasi somniorum conjectores; quam vocem à Medis mutuatam refert, qui ante conditam Persicam Monarchiam sic etiam suos Οὐραποτόλες vocabant. Alii putant, hoc nomen Meagim Hebraicum esse, & Meditabundos significare. Doctiss. tamen Joh. Cler. putat, Magos dictos potius fuisse Mahgim, Murmuratores, quod sacra facerent, murmurando preces nescio quas. Notat cit. Cler. ex Ægid. Menagio in Præfat. Diog. Laërt. Magos oportuisse ex matris cum filio concubitu progenitos esse, si Græcorum, & Latinorum quamplurimi scriptoribus credimus. Scriptorum loca videsis apud cit. Ægid. Porphyrius quoque de Magis hæc habet: *Apud Persas sanè divinarum rerum*

terum Sapientes, & Numinis magistri Magi appellantur. Id enim significat **Magus** lingua Persica. Tam augustum vero apud Persas, & venerandum habetur hoc hominum genus, ut Darius &c. Notandum hic ex Lucian. de Longævis, non solum Persas, sed etiam Parthos, Medos, Sacas, aliasque vicinas nationes suos Magos habuisse; unde Plinius Arabum Sapientes Magos appellat. cap. 30. 1. Subtilissimus Joh. Clericus in Indice ad Hist. Philosoph. Orient. verbo **Magus**, notat, Stanlejum male confundere Magos, qui proprie Persarum erant, cum Chaldæis; aitque, eos diserte distinctos fuisse à Curtio l. 5. c. 1. ubi describit eos, qui obviam processere Alexandro in Persidem eunti: **Magi deinde suo more patrium carmen canentes.** Post hos Chaldaei &c. Et distinctos etiam à Celso l. 1. ubi reprehendit Antagonistam, qui pro Magis Chaldæos dixerat. Putat igitur nunquam satis laudatus Clericus, Chaldæos primis saltem temporibus Astrologos tantum putatos fuisse, Magos vero Sacrorum Antistites, seu Rituum Præsides. Apul. Apologia 1. Nam si, quod ego apud plurimos lego, Persarum lingua Magus est, qui nostra Sacerdos &c. Suidas: Μάγοι, παρὰ Πέρσαις, οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι; **Magi**, apud Persas, vocantur Philosophi, & Philotheti. Hesych. Magum appellat τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεολόγον, καὶ ληπτα, Dei cultorem, Theologum, & Sacerdotem. Et Divus Hieron. in c. 11. Danielis: Magos Philosophos fuisse Chaldaeorum, & ad artis eorum scientiam Reges, & Principes ejusdem gentis omnia facere.

Zaradem, Zaraduissit, sive Zoroastrem Persicæ Philosophiæ primum institutorem omnes faciunt; quem Laërtius Persam, Clem. Alex. Medium, Suidas Medo-Persam voluit. Zoroastrem Persica lingua αἰσροθύτῳ significare, Laërt. in Proæm. notat. Clem. Alex. l. 4. Recognitionum ait, Persas genus suum ducere ab uno ex filiis Cham, qui Mefraim appellabatur, quem post obitum Zoroastrem, hoc est, vivum fidus nominavere. Eum autem igne à Dæmone immisso crematum tradit: cineres lectos, & ad Persas delatos, ut ab iis tanquam à cœlo in terram delapsus ignis perpetuis servaretur excubiis, & pro Deo conseretur. Notant tamen hic quidam, hoc Zoroastris nomen eximiæ eruditiois viris apud Barbaros commune fuisse. De tempore, quo vixit, nil certi ex autoribus. Hic, ex Justino, cui omnes ferè veteres consentiunt, primus magicas artes invenisse, & Mundi principia, siderumque motus diligenter observasse, dicitur. Elmanicus tamen Arabs historicus contendit, Magicam Philosophiam à Zoroastre non institutam, sed adauctam, vel restitutam. Scripsit hic, ex Suida, De Natura libros quatuor, de Gemmis unum, Astroscopia Apotelesma-ta quinque; &, ex Eusebio, Persicorum sacram collectionem, cuius fragmenta laudata ab eodem, & recensita sunt.

Hystaspes ex Achæmenia Persidis regione, teste Herodoto, oriundus, Ar-samenis, sive Arsacis filius, qui tempore Cyri vixit, Magorum eruditioem multum adauxit. Prudentissimus fuit, verba sunt Ammiani Marcellini l. 33. c. 6. qui, cum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cuius tranquillis scientiis præcelsa Brachmanorum ingenia potiuntur; eorumque monitu rationes mundani motus, & siderum, purusque sacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his que didicit, aliqua Magorum sensibus infudit.

Osthanes, qui Persarum eruditioem in Græciam invexit, Magus quoque fuit insignis, de quo sic Plin. l. 30. c. 1. Hic maximè Osthanes ad rabiem, non aviditatem modo scientiæ ejus Græcorum populos egit. Et Minucius Felix in Octavio ait: Magorum eloquio, & negocio primum, verum Deum merita majestate prosecutum, & Angelos veri Dei assistere novisse, &c. Persarum etiam Philosophus Ochus dicitur à Suida in Ωχο; à Laërtio vero Phœnix memoratur in Præfat.

Ma-

Magorum summa erat apud Persas existimatio, ita ut Cic. de Divinat. l. 1. c. 41. neget, *Persarum Regem quempiam potuisse esse, qui non ante Magorum disciplinam, scientiamque percepisset*. Quomodo autem puer futurus Rex à Magis institueretur, docet Plato in Alcibiad. 1. Dion Chrysostomus ait, *Magos in Regis consilia admissos, eique in jure dicendo assessores fuisse, quippe qui naturae rerum essent periti, & noscent qua ratione Dii essent colendi*. Et Dion testatur, Cambyses, expeditione Ægyptiaca suscepta, Regni expeditionem Magis commisso. Clearchus Solensis apud Laërt. Gymnosophistis ipsos facit antiquiores. Magi Chaldæorum Astrologiæ, & quæ ex ipsa manabat, futurorum prædictioni non credebant.

Divus Hieron. l. 2. contr. Jovin. ait, quod Eubulus narrat apud Persas tria genera Magorum, quorum primos, qui sunt doctissimi, & eloquentissimi, excepta farina, & olere, nibil amplius in cibo sumere. Dinon, & Auctor τε Μαγίας docent, Magos sibi exteriorem cultum, & auri usum interdixisse; habuisse vestem candidam, lectum humum, escam olus, caseum, & panem: arundine pro baculo usos, qua summa præfixum caseum ori applicantes comedisse. Et Sozomenus Hist. Eccl. l. 2. c. 13. ait, Magos Societatis suæ Præfectum habuisse, quem Μέγαρον Αρχιμάγον, Magnum Archimagum ipse vocat. Et Clem. Alex. 3. Strom. Certe Magis curæ est à vino, animatis, & rebus venereis abstinere. Strabo l. 15. eos σεμνῶς τινὶς βίᾳ ζηλωτὰς, venerabilis cuiusdam vitæ Æmulatores appellat. Hæc autem à venereis perpetua abstinentia etiam mulieribus, quæ in Sacerdotium Solis, ut ait Justinus l. 10. sive Diana, ut Plutarchus in Artaxerxe scribit, legebantur, imperabatur. Ob quam certe sobrietatem, & castitatem, vitam in longos annos Magos produxisse, affirmat Lucianus in Macrobiis. Tantum in Perside ortos Magi in sua doctrina instituebant; alios vero nonnisi jubente Rege, ut notat Philostr. in Protagora; *Non solent Persarum Magi instituere eos, qui Persæ non sunt, nisi Rex jussit*.

Quod ad Magorum occupationem, notat Laërt. in Proæm. primum cultum erga Deos habuisse, quibus sacrificia, quasi soli ab ipsis audirentur, offerebant. De justitia item verba faciebant, iniquumque arbitrabantur, atque impium igni sepelire: justum matri, & filiæ commisceri, ut in l. 23. docebat à Diogene laudatus Sotion. Moribus autem à reliquis hominibus, & præcipue à Sacerdotibus Ægyptiis, (quibus antiquiores omnes faciunt, sicut & Gymnosophistis) discrepasse, afferit Herodotus l. 1. c. 140. Hi namque nullius animantis occisione se polluebant, exceptis iis, quæ Diis mactabant; Magi verò suis manibus, excepto homine, & cane, omne animal occidebant; imò inter se certabant, quis eorum plures formicas, serpentes, reptilia, & volucra plura occiderit. Notari h̄c dignum est, quod habet Plutarch. l. de Invidia, & Odio; propria cujus verba hæc sunt: *Persarum Magi Mures occiderunt, quos & odio habebant, dicebantque esse Dei indignantis animal: similiter omnes Arabes, & Æthiopes eos execrantur*. Et Cic. Tuscul. Quæst. l. 1. c. 45. Persarum in sepeliendo morem describens ait: *Persæ cera circumlitos condunt, ut quammaxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata*.

Magorum Doctrina circa hæc omnis erat: primò Theologiam, & Physicam considerabat: Secundò, Divinationem: Tertiò, Cultum Deorum, & Sacros ritus, potissimum vero Magicos. Et Suidas quidem ipsos Theologiæ, & Physices peritos vocat: Laërt. eos de Essentia, & Generatione Deorum verba fecisse: & tandem Dion Chrysostom. eos naturarum peritos dixit.

Zoroastres Magus in sacro Persicorum rituum Commentario sic de Deo locutus est: *Hic est primus incorruptibilis, æternus, ingenitus, sine partibus,*

omnibus aliis dissimillimus, moderator omnis boni, donis non capiendus, bonorum optimus, prudentium prudentissimus, legum, æquitatis, & justitiae patens, ipse sui doctor, physicus, & perfectus & sapiens, & sacri Physici unicus inventor. Idem Zoroastres, quem secutus est Plato, omnia in tria genera divisit, ut Pletho ex Plutarcho colligit, in Æterna scilicet, Æviæterna, & Corruptibilia, sive in Deum, Spiritus, & Corpora. Duos autem Deos ex Zoroastre Magos cognovisse, notat idem Plutarchus; unum bonorum opificem, quem verè Deum Horomazen vocabant; alterum vero malorum autorem, quem Dæmonem, & Arimanum appellabant: & illum quidem luci, hunc autem teñbris, & ignorantiae similem dicebant; medium vero inter eos Mithram, quem veluti mediatorem credebant, cui votivas, & eucharisticas victimas immolabant, & sovi quidem tauros integros, Mithræ vero, sive Soli, equos.

Divinandi, prædicendique ars, quæ Magos omnibus claros fecit, notatur præ cæteris à Laërt. ubi ait, eos περὶ πόλησιν ἀχολῶθαι, circa prædictionem occupari. Et Strabo l. i. 6. ait, magno in pretio habitos esse apud Indos Gymnosopistas, apud Persas Magos, & qui Necyomantici, Lecanomantici, & Hydromantici dicuntur. Ælianus Var. Hist. l. 2. c. 17. Persicorum Magorum sapientiam tum alia complexam esse, quæ ipsis scire fas esset, tum etiam vaticinandi scientiam, testatur. Et Lucianus in Macrobiis Magos vocat Γένος Μαγικὸν καὶ Θεοῖς αὐτούμενον, Genus Fatidicum, & Diis consecratum. Eos autem ex notis corporis vaticinasse, notat Velleius Paterculus l. 2. 17. & ex portentis etiam, ut de Xerse narrat Valer. Max. l. 1. c. 6. Et Suidas: Μαγικῶν ταῦτα ἐφεύρεν Μῆδοι, καὶ Πέρσαις διαφέρουσα τῆς γοτθίας, καὶ φαρμακίας εὐτῆς; Magicam hanc artem invenere Medi, & Persæ: differt autem à Goëtia, & Pharmacia ipsa: Goëtia est species Magiæ, quæ fit per invocationem dæmonum maleficorum juxta sepulcra factam: Pharmacia vero per assumptum medicamentum.

Tertia Magorum disciplinæ pars, quæ circa sacros magicos ritus versabatur, unde à Platone Magia Θεῶν Θεραπεία, Deorum Cultus vocabatur, constat ex Herodoto l. 1. c. 131. & Strab. l. 1. 5. qui Magos, neque Templæ, neque Aras, neque Statuas habuisse, testantur. Verùm cùm ex iisdem variis in locis constet, hæc omnia Magos habuisse, dicendum, Persas initio his omnibus caruisse; posteriores verò Persas hæc à Græcis, quibus commercio juncti erant, accepisse. Cujus sententiæ videtur Clem. Alex. in Admonit. ad Gentes, ubi de Magis ait; *Hos sub dio sacra facere, ait Dinon, sola Deorum simulacra ignem, & aquam putantes.* Et mox: Non existimant, ligna, & lapides Statuas esse Deorum, ut Græci &c. sed ignem, & aquam, ut Philosophi; attamen per multos annorum circuitus, humanæ formæ simulacra ab iis coli offendit Berossus in 3. Chaldaeorum, cum hoc introduxisset Artaxerxes Darii filius, Ochi nepos, qui primus Veneris Tanaidis simulacrum Babylone statuit. Thomas Hyde contrà negat, Persas Igni divinum cultum tribuisse; ut videre est in sua Hist. Persarum. Theodoretus vero Hist. Eccl. l. 5. c. 39. dicit, Magos à Persis vocari τὰς τε γεωγοιῶντας, Elementis divinitatem tribuentes. Hic tamen Elementorum nomine Theodoretum Stellas intellexisse, notat Valelius ad cit. locum.

Subdit idem Herodotus, quod Persæ sacra facienti non licebat sibi privatim precari bona, sed communiter universis Persis bene precari, imprimis autem Regi. Sacrificanti Magus adstans (nullum enim Persis sine Mago legitimum erat sacrificium; publica enim, privataque sacra omnia Magi obibant; Hinc cit. Herodot. l. 1. ἀνεῳ γάρ δὴ τῷ Μάγῳ ἡ σφιν ρόμῳ ἐγένετο θυσίας ποιεῖσθαι; absque Mago sacrificia peragere apud eos nefas est) Theogoniam, quam incantationem esse dicunt, accinebat. Hæc vox Θεογονία Carmen significat, in quo Deorum Genealogia continebatur. Apud Chaldæos tale, vel simile fuit Carmen in usu.

Peraæto

Peracto sacrificio , ac carnis adstantibus distributis , omenti partem flammis ad liquandum dabant in Deorum honorem , carmen interea accinentes . Quem Persicum in sacrificando ritum confirmat Catullus Epigrammate de Magis :

Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos ,

Omentum in flammis pingue liquefaciens .

Aliquando vero cæsas hostias totas igne absu[m]ebant ; quod sacrificii genus *Holocaustum*, hoc est, *totum igne absumptum* Hebræis etiam in usu fuit. Varios Persarum sacrificandi ritus vide apud Herodotum , Xenophontem , Suidam , Apulejum , & ex his Brissonium de Regno Pers. l. 2. In locis editis sacrificia fiebant ; quibus absolutis, nullas Diis victimæ carnes relinquebant ; dicebant enim, Deum nihil velle præter hostiæ animam . Plura de Sacrif. Pers. vide apud cit. Herodotum , Brissonium de Regn. Pers. l. 2. & alibi ; & Ammian. Marcell. l. 23.

Persarum Deos hos faciunt Herodotus , & Strabo , Jovem scilicet , per quem , iisdem testibus , omnem Cœli circuitum intelligebant ; quem etiam Jovem sub nomine Beli , ut à Chaldaeis acceperant , coluerunt ; Solem , Lunam , Venerem , Ignem , Terram , Ventos , & Aquam : Laërt. vero Ignem , Terram , & Aquam tantum refert eos habuisse . Soli , testibus iisdem Herodot. & Strab. sacra faciebant , quem etiam Mithram ab ipsis Persis dictum fatetur idem Strabo , & Deorum maximum , ut ait etiam Cyrus apud Xenophontem , ubi per eum jurat ; & Hesychius addit , sanctissimum apud Persas Reges fuisse jusjurandum per Solem . Quod confirmat Claudianus l. 1. de Laud. Stilicon. ubi & vinum in sacrificiis Diis oblatum à Regibus Persarum , eorumque per Mithrem jusjurandum memorat his versibus :

*Rex ipse micantem
Inclinat dextra Pateram , secretaque bellū ,
Et vaga testatur volventem sidera Mithrem .*

Quam Pateram patria lingua Condyl vocatam scribit Athenæus l. 11. Quæ autem , & qualia fuerint reliquorum Deorum Sacrificia , vide apud cit. autores , Suidam , aliosque . Persæ suos etiam Reges ut Deos habebant , & venerabantur , Xenoph. Strab. 10. atque alii . Mos autem adorandi talis erat : Genu flexo , proni procumbentes in terram , fronte humum feriebant , ac terram osculabantur . Curt. 5. & 8. Val. Max. 7. 3. Joseph. 20. 3. Martial. 10. Epigr. 72.

Notandum denique , Persidem ad Magorum disciplinam addiscendam præter alios Græcorum adivisse Pythagoram , Democritum , Pyrrhum Scepticorum parentem , & Apollonium Thyanæum , qui à Magis quæ pertinent ad Deorum cultum , Animæ immortalitatem , & Μετεμψυχωσιν , per quam homines reviviscerent , cæteraque studia , quæ vitam respiciunt , didicerunt . Addamus quod habet P. Jovius l. 13: Hist. Reges Persarum hodiernos Σοφούς , Sapientes vocari , Deorumque interpretes .

Asiæ pars Arabia , quam etiam Sabæam dicunt à Saba filio Chusi , & Chami nepote , suos habuit populos ab antiquis temporibus eruditos , quos Cic. 1. de Divin. c. 41. & 42. auguriorum , & auspiciorum peritissimos vocat , & causam hanc addit : *Arabes autem , & Phryges , & Cilices , quod pastu pecudum maxime utuntur , campos , & montes hyeme , & æstate peragrantes , propterea facilius cantus avium , & volatus notaverunt .*

Quis verò Sabæorum religionis , & disciplinæ autor fuerit , non bene constat apud autores . Multi cum Lactant. putant , Sabæorum religionem , sive potius superstitionem , originem duxisse à Chamo Noachi filio , qui maledictus à patre , & expulsus , in Arabia consedit : Lactantii verba sunt de Sabæa gente : *Hæc prima fuit gens , quæ Deum ignoravit , quoniam princeps ejus , & conditor cultum Dei à patre non accepit , maledictus ab eo .*

In hoc, quod rationi consonum est, fere omnes conveniunt, Theologiam, cum reliquis disciplinis, à Chaldæis, penes quos utpote ab Hebreis accepta sanius erat, ad Persas, & ex his ad Sabæos populos sibi finitos, corruptam tamen, promanasse. Hinc mirum non est, si Plinius in Arabia Magos memorat, & Ptolemæus in Arabia Magorum sedem collocet. Porphyrius quoque in Vit. Pythag. ipsum præter alias regiones, quas discendi caussa lustravit, in Arabiā quoque ivisse, & cum Rege vixisse testatur.

De Sabæorum Θεού/ꝝ pauca quidem, & forsitan à scriptoribus corrupta haberi possunt. Narrat Maimonides, eos Stellas pro Diis habuisse, Solemque Deorum principem summum Dominum, & Dominum Boni appellasse; Deosque dupli ritu, diurno scilicet, & menstruo coluisse. Atque hinc factum est, ut primum diem Soli, secundum Lunæ, tertium Marti, quartum Mercurio, quintum Jovi, sextum Veneri, & septimum Saturno dicaverint. Veram Joh. Seldenus testatur, primos Chaldæos tempus in dierum hebdomadas pro Planetarym numero divisisse. Quis autem cultus mensium Diis dicatorum, & qualis fuerit, lege apud Rabbinos, qui de his scripserunt; potissimum verò doctiss. Joh. Spencerum, qui de Sabæis fusè, ac docte nuper egit l. 2. de Legib. Mosaicis.

C A P U T IV.

De Sectis Indorum.

OMNIS Chaldæorum, Persarum, & Assyriorum sapientia, quam à Noë, ejusque filiis, orientalem terræ plagam peragantibus, profectam probavimus, hinc inde per universos terræ populos propagata, Indos quidem ad Orientem, Ægyptios verò, Phœnices, aliasque nationes ad Occidentem eruditivit. Unde ex una hac Chaldæorum doctrina variæ apud diversas nationes Philosophantium sectæ ortæ sunt.

Et primo Indos Philosophiam docuerunt GYMNOSEPHISTÆ, ut tradit autor Magici, Sotion apud Laërt. Strabo, Clemens Alex. Apulejus, Solinus, August. aliquique. *Gymnosophistæ* autem dicti sunt quasi *Nudi Sapientes*. Horum duplex genus præter alios, Strabo l. 15. & Clem. Alex. 1. Strom. faciunt, BRACHMANES scilicet, & GERMANES, sive, ut Alex. ait, Sarmanas, inter quos HYLOBII etiam sic dicti quasi *Sylvicolæ*, quodd in *Sylvis* viverent, numerantur.

BRACHMANES apud Indos maximo honore habiti, quia eorum doctrina meliori ordine tradebatur. Hi infantibus in cunis, imo antequam nascerentur, eorum matribus, Præceptores dabant, ut optime erudirentur. In *Sylvis* prope urbem habitabant, ubi nimia frugalitate, summa continentia, continua mortis meditatione, seria semper, & de virtutibus meditantes, & colloquentes vivebant; quare eorum vita continua mortis meditatio, & ad ipsam præparatio erat. Eorum doctrina parum, aut nihil à Græcorum doctrina discrepabat; hi namque ab illis multa mutuati sunt. Mundum non ab æterno fuisse, sed in tempore, qui tamen aliquando finem habiturus esset, eumque figuræ rotundæ, putabant. Deum Mundi Creatorem, & Gubernatorem sua Majestate Universum replere credebant. Animas immortales, easque vel æternum felices, vel æternum infelices ponebant. Aquam rerum omnium principium esse dicebant; & præter quatuor illa communia Mundi Elementa, quintum corpus esse quoddam, ex quo Cœlum, & Astra formata sint. Notat Phil. 7. vit. Apoll. quod Brachmanes ad Philosophiam suam neminem admittebant, qui non ante se novisset.

Cele-

Celebris inter Brachmanes fuit Buddes, quo Præceptore usus est Manes Persa, suæ sectæ conditor, ut autor est Suid. Clem. Alex. aliique. Hujus præser-tim meminit Divus Hieronymus l. 1. adversus Jovinianum, ubi ait, eum uti Deum honoratum; *Quem è latere suo Virgo dicebatur generasse*. Quæ fabula orta videtur ex historia de Adamo, ex cuius latere nata Virgo Eva.

Præter alia Brachmanarum, aliorumque Indiæ populorum dogmata, maximum illud erat Παλιγγενεσία Regeneratio, seu animarum in muta animantia, boves præcipue, transitus; unde apud eam gentem bobus, referente Saechino l. 5. Hist. Societ. Jesu, & Maffejo lib. 1. Rer. Indic. non minus quam auro pre-tium erat; imo Deum ipsum, sive Dæmonem sub Bovis figura, sicut Ægyptii Apis, adorabant.

Clem. Alex. Strom. l. 3. sic nobis Brachmanes describit: *Brachmanes qui-dem neque animatum comedunt, neque vinum bibunt; sed aliqui quidem ex iis quotidie, sicut nos, cibum capiunt, nonnulli autem ex ipsis tertio quoque die, ut habet Alexander Polyhistor in lib. de Reb. Indic. mortem autem con-temnunt, & vivere nibil faciunt: credunt enim esse Παλιγγενεσίαν, Regene-rationem: aliqui autem colunt Herculem, & Panem. Qui autem ex Indis vo-cantur Σευροί, hoc est, Honesti, & Venerandi, nudi totam vitam transigunt: it veritatem exercent, & futura prædicunt, & colunt quandam Pyramidem, sub qua existimant alicujus Dei ossa reposita. Neque verò Gymnosophistæ, & qui dicuntur Σευροί Venerandi, utuntur mulieribus: hoc enim præter natu-ram, & iniquum esse existimant: qua de causa seipso castos conservant. Virgines etiam sunt, quæ dicuntur Σευροί, hoc est Venerandæ. Videntur autem ob-servare cœlestia, & per eorum significationem quædam futura prædicere.* Ha-ctenus Clemens.

Inter alios, qui Indos Sapientiæ amore adiverunt, sunt Democritus, ut refert Ælian. Pyrrho Eleus, Scepticorum pater, & Anaxarchus: quibus Alexander Polyhistor Pythagoram adnumerat lib. de Symbol. Pythagoric. ipsum enim fuisse discipulum Nazarati Assyrii, & audivisse præter Gallos etiam Brachma-nas testatur. Quod etiam confirmat Apul. l. 2. Florid. *Brachmanes sapientes viri sunt, &c & mox: Brachmanæ Pythagoræ contulerunt pleraque Philosophiæ ejus; quæ mentium documenta, & corporum exercitamenta, quot partes ani-mi, quot vices vitæ, quæ Diis manibus pro merito suo cuique tormenta, vel præmia.*

GERMANES verò HYLOBIT, seu Sylvicolæ, qui Indis maximo etiam in honore erant, arborum frondibus, & fructibus vescebantur, earundemque cor-ticibus pudenda tantum tegebant (cætera namque nudi, unde & Gymnosophistis commune nomen factum est) omni Venere, vinoque abdicato, in id summe in-cumbebant, ut optima Moralis dogmata addiscentes, populo, & Regibus con-silia traderent, omnibusque prodeissent. Inter Germanes Medici potissimum honorati, qui summa frugalitate viventes, morbos omnes potius vieti ratione, quam remediis fugabant.

Cæterum hi Philosophi summæ suæ austерitatis, & patientiæ specimen Ale-xandro Magno Indos subjuganti dederunt, dolores, & ærumnas sustinentes. Eorum enim quidam ad terram prostratus, & solis ardores, & pluvias fortiter su-stulit: quidam verò per totam diem uni tamen pedi innixus, altero triangulare ligni fragmentum sustentabat. Eidem etiam imperterriti dicere solebant: *Tradi-ces quidem corpora de loco; animas autem nostras non coges facere, quæ no-limus. Ignis est hominibus maximus cruciatus, eum nos contemnimus.* Hinc Cic. 5. Tus. de Indis hæc tradidit: *In ea tamen gente primū ī, qui Sapientes babentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi nives, hyemalemque vim perferunt* sine

sine dolore; cumque ad flammam se applicuerint, sine gemitu aduruntur. Et Plin. l.7.c.2. *Philosophos eorum, quos Gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare contuentes solem immobilibus oculis: ferventibus arenis toto die alternis pedibus infistere.* Et l.6.c.19. *Quintum genus celebratæ illuc, & prope in religionem versæ Sapientiæ deditum, voluntaria semper morte vitam accenso prius rogo finit.* Vide Clem. Alex. Plinium, Platonem, Eusebium, aliosque.

Tandem illud addam, quod Hylobiorum quidam Alexandro dicere solebat, homines olim in abundantia omnium voluptatum, & deliciarum, & ab omni dolore immunes vixisse; sed cum hac felicitate abusi fuissent, Jovem eos doloribus, ærumnis, & laboribus damnasse. Quod ex Historia primi hominis, ante peccatum in Paradiso voluptatis feliciter viventis, post culpam verò labo-ribus damnati, ortum habuisse videtur.

Sectam hic addam Persarum inter Indos habitantium, qui præter summum unicum Numen, septem primarios ministros, seu Imperatores statuunt: Primum horum dicunt Hamasda, homines ad vitæ honestatem impellentem: Secundum Bhamam, qui brutis, & aquatilibus omnibus præest: Tertium Ardibeth, qui cu-ram ignis habet, ne extinguitur: Quartum Sarywaër, qui in metalla potestate habet, & mineralia; unde peccatum putant, mineralia sordibus commista relin-quere: Quintum Espander, qui de agrorum, tellurisque conservatione curam ha-bet: Sextum Aawerdath, maris, & aquarum omnium munditiae conservandæ intentum: Septimum denique Ammadaëth, arborum, fructuum, & herbarum calamitatem avertentem. Hos autem omnes nullam vitæ, & necis in animalia potestatem habere; ajunt, sed tantum summo Deo propriæ administrationis ratio-nem reddere. His autem inferiores statuunt ministros 25. quorum singulis peculia-ris cura demandata est. Videatur Varenius de Japonens. p. 301.

Hæc eadem secta animas hominum immortales statuit; easque à corpore separatas per ministrum Dei Saroch duci ad judices Mearesum, & Saros, ut actiones vitæ ad libram examinentur, siue bonæ malis præponderent, Deo as-sociari, cumque eo lætas esse ajunt; sin contra, à Diabolis, qui libræ adstant, abripi ad infernum ad ignis cruciatus, per mille annos duraturos: deinde verò post Mundi Παλιγγενετιαν in ipsum reddituras credunt. Ejusdem quoque opinionis sunt Japonenses Sinis vicini, qui ipsam à Xaca, & Amida exceperunt: quique Mundi Παλιγγενετιαν, & animarum ab inferis exitum post singulos mille annos credunt.

Sectam aliam fuisse, Aristoteles refert, quæ CALLANORUM dicebatur; de qua sic Cunæus de Rep. Hebr. l.1. c.4. Portentosum est, & cum summa in-scitia conjunctum, quod Aristoteles apud Clearbum autumavit, Judeos esse ab Indiæ Sapientibus propagatos, sed nomen mutavisse, quippe Philosophos illos, qui apud Indos CALLANI appellantur, in cava Syria Judeos dici. Pudet me anilitatis, adeo hoc nibili est. Verùm hæc Callanorum secta dici forsan potuit à Calano, celeberrimo Gymnosophistarum philosopho, cuius meminit Plutar-chus in Alejandro, ubi refert, Onesicritum Cynicum ab Alejandro missum, ut Calanum ad se venire rogaret. Plutarchi verba l.c. sunt: Ajunt, Calanum quām superbe, & aspere jussisse ei, ut posita ueste audiret se nudus: alioqui non congressurum cum eo se, ne si à Jove missus esset quidem: Dandamim egisse pla-cidius, ac de Socrate, &c. Et paullò post: Calanum autem, ut ad Alexandrum profici sceretur, Taxiles induxit. Spines vocabatur; sed quia sermone Indico Cale pro Salve salutans obvios compellaret, Calanus est à Græcis nominatus. Et paullò post: Eadem tempestate Calanus, cum aliquandiu alvi fluore laboraf-set, rogum postulavit sibi strui; ad quem postquam est equo delatus, Deos pre-latus, libamina sibi ipse infudit, capillisque suis rem divinam fecit. Inde ro-gum

gum concendens, assistentes Macedonas complexus est, rogavitque lætum ut diem illum transigerent, & cum Rege perpotarent. Illum ipsum brevi ait Babylone se revisurum. Ita fatus decubuit, &c.

Idem Plutarchus lococitato Alexandrum narrat cum Gymnosophistis disputasse, acresque ad resolvendum quæstiones eis præbuisse; cujus verba sunt: Ex Gymnosophistis, qui præcipuè Sabbam ad defectionem impulerant, & plurimum fatigaverant Macedones, decem acres ad respondendum, & contractos habitos, cepit. His quæstiones obscuras posuit, necem denuncians primo, qui parum recte respondisset, inde ordine reliquis. Unum natu maximum dedit judicem; primus interrogatus, vivos ne plures esse, an mortuos censeret? vivos ait; neque enim jam esse eos, qui mortui sunt. Secundus, terram, an pelagus grandiores gignet belvas? terram, quippe hujus, inquit, pelagus portio est. Tertius, quod animal callidissimum esset? quod hactenus, inquit, homo non cognovit. Quartus requisitus, quamobrem Sabbam ad rebellionem concitasset? responsum dedit, quo honeste viveret, aut malè periret. Quintus rogatus, diem, an noctem putaret fuisse priorem? Diem, ait, uno die. Adjecit autem, cùm id Rex admiraretur, implicatarum interrogationum necesse esse, ut essent implicatae responsiones. Ita progredivs sextum percunctatus est, quemadmodum quis maximum se efficiat? Si potentissimus, inquit ille, nec formidabilis esset. Ex reliquis alius rogatus, quemadmodum ex mortali quis Deus evadat? si quid fecerit, inquit, quod facere denegatum sit homini. Alius de vita, & morte, utra Valentior? respondit, vitam, tam multa tolerantem mala. Postremus, quatenus hominem vivere deceat? eatus, dum mori, quam vivere non censeat præstare. Ita tandem versus ad judicem pronunciare jussit sententiam. Qui quum alium alio dixisset segnus respondeisse: ergo tu, inquit, primus moriere, qui ita decernis. Minime vero, Rex, inquit ille, nisi tu mentiaris: qui primum dixisti, imperfecturum te illum, qui pessime respondisset. Hos igitur muneribus honoratos dimisit.

C A P U T . V.

*De Sinensium Sedis, & primo de Confutio,
& Xaca.*

IN ulteriori Asie parte Orientali situm est vastissimum & antiquissimum Sinarum Imperium, quod vulgo China appellatur, Tartaris, Japonibus, aliisque nationibus conterminum: cujus primus Imperator à Chinensibus Historicis Fohi traditur, quem ante Christum natum 2952. in Thronum ascendisse volunt. Quod ut Sacrorum Bibliorum historiis concordet, Vallemontius in tom. 2. Element. Hist. 1. 5. supponit, Sinensium Fohi fuisse nostrum Noë.

In hoc igitur vastissimo, & antiquissimo Imperio, & proprio in Oppido Leuyè prope Civitatem Ki seu in Provincia Xanton natus est anno ab O.C. 3233. & ante Christum natum 771. ut vult cit. Vallemont. sive 551. ex computatione Trigaldi, omnium Philosophorum Sinensium Princeps CONFUTIUS, quem Sinensium Socratem vocat, & probat Franc. Mothæus Vayerius in Tract. de virtutibus Paganorum; & primo quidem quod Confutius circa id temporis mortuus sit, quo Græcus Socrates natus est, itaut eodem seculo & Sinæ Confutium, & Græcia Socratem viderit. Deinde verò quod Confutius, non secus ac Socrates, reliquis scientiis contemptis, Moralem tantum & exercuerit, & auxerit; itaut de ipso illud Ciceronis in Socratem jure dici posset, quod Moralem Philosophiam è Cœlo devocaverit.

Enimvero licet ipse propter suam Philosophiam, & morum probitatem maximo apud Sinenses in honore haberetur; itaut Mandarinorum unus (sic Sinenses Regni Magnates, penes quos Reip. regimen est, vocare solent) esset, omne tamen Reip. regimen deponens, propterea quod ipsam ex voto gubernare propter Imperatoris potentiam non posset, ad Philosophiam publice docendam se contulit; cuius omnia fere dogmata ad familiarum quietem, & publicam tranquillitatem stabiendum tendebant; potissimum vero ad optimam puerorum educationem, & maximam patribus in filios autoritatem inducendam, ex qua deinde filii Regiae dominationis jugum portare ediscerent. Hic omnium Philosophorum, qui ipsum præcesserant, morales sententias colligit, & in 4. volumina redegit, quibus ipse quintum suarum addidit. Sinenses ejus Philosophiam tanti faciebant, ut nec minimum ipsius dogma vel Imperatores immutare possent. Nemo etiam Sinensium Doctoratus lauream consequi potest, nisi in Confutii Philosophia prius approbatus. Confutio maximos honores à Slnis tribui, omnes fatentur: sed an statuam quoque erexerint, dubium: Affirmat Trigautius l. 1. Exped. Sin.c. 10. Martinus vero l. 4. Hist. Sin. p. 132. ait: *Statuam illi non efformant, sed solum nomen literis aureis exaratum Academiæ fronti superimponunt, cui honores habentur, qui vivis magistris solent.*

Fuit præterea ex Regno Siam insignis Philosophus, in Metaphysicis præcipue magnus, nomine XACA, cuius Philosophiam, ut refert P. Borry, Orientales omnes & amplexati, & admirati sunt. Hic Mundum ex nihilo creatum, & in nihilum redditum putavit. Unum reale rerum omnium Principium, sive unum Cœli, & Terræ Creatorem credidit, qui bonos gloriae suæ præmio, malos vero Inferni pœnis afficeret. Quoad Moralia vero, humanam felicitatem non in aliquo bono positivo, sed tantum in bono negativo, hoc est in nuda privatione omnium malorum, sive in pura negatione omnium incommodorum, posuit.

Sinarum libri tres Orbis Terrarum sectas numerant (sic enim vocant Regnum suum una cum adjacentibus Provinciis; alias enim non norunt) quam primam Literatorum, alteram Sciequia, tertiam Lanzu vocant, seu, ut P. Martinus, Philosophicam, Idololatricam, & Epicuream. Ex his tribus aliquam Sinæ omnes, & reliqui populi contermini, qui Sinensium Characteres habent, profitentur; quales sunt Japones, Choriani, Tonchini, & Cochinchinenses.

Literatorum secta, seu Philosophica, Sinensium propria, & omnium antiquissima, inter reliquas & re, & autoritate eminet; penes hanc enim est Regni regimen, quæ & pluribus etiam libris abundat: soli namque Philosophi ad Remp. administrandam admittuntur. Hæc sui Institutorem Confutum jactat, qui Sinensium quoque Mercurius dicitur. Et quidem sicut Ægyptii Sapientes ex institutione sui Thoyt, seu Mercurii, unum Deum, quem Hemepht vocant, colunt; ita hi Sinenses Philosophi unum Numen adorant. Notandum tamen hic est, quod habet cit. Martinus, hos Philosophos fateri, se Supremi hujus Numinis Essentiam, & Naturam, & modum, quo colendus sit, ignorare; unde melius putant omnem cultum omittere, quam in illo errare: quare nullas illi preces, nullos ritus, aut cæremonias exhibent; nullam ipsius imaginem habent, eo quod sub humano sensu Deus cadere nequeat.

De hoc autem Supremo Numine sic P. Trigautius in Expeditione Christiana ad Sinas: *Hinc asserunt, Regi Cælorum sacrificandi, eumque colendi munus ad solum Regem spectare: Ad hunc finem Rex duo habet Tempa sane magnifica in utraque Regia, Nanquinensi, & Pequinensi; Cælo dicatum est unum, Terræ alterum: in his olim ipse per se litabat, nunc in ejus locum Magistratus gravissimi, quos Magistratus Rituum vocant, successere; Cæloque, & Terræ, non secus*

ac Ægyptii Osridi, & Isidi, boves, & oves magno numero madant, aliosque multos ritus exhibent. Porro proprium Literatorum Fanum est ipsius Confutis, Sinensium Philosophorum Principis; id ei per leges in qualibet Urbe construitur eo in loco, qui est supra Ludum literarum: id magno sumtu consurgit, & continuum habet Palatum ejus Magistratus, qui primum literarum gradum consecutis praecedit. Et paullò post: In hoc Fanum novilunio, & plenilunio quolibet conveniunt Magistratus omnes Urbani cum renunciatis Baccalaureis, Magistrum solitis genuflexionibus, & inclinationibus, cereis etiam, & suffitu veneraturi.

Hujus itaque sectæ Asseclæ nihil spectant magis, quam justum, & perfectum Reip. regimen, virtutumque Moralium exercitationem. Tractat hæc de Cœlo, Terra, & Homine, tamquam de iis, in quibus omnium rerum cardo versatur. De Cœlo, & Terra scientia merè naturalis est, ubi de rerum principiis, de generatione, & corruptione, de motibus Cœlorum, siderum, & de Astrologia utraque, de agris demum, agrorumque mensura, &c.

De Homine vero scientia tota est, quæ ad mores spectat, quatenus scilicet homo est sociale animal rationis, & regiminis capax. In eo præcipui ordinis, seu tituli quinque: Primus Patris & Filii est, in quo de Obedientia miranda magis, quam imitanda proponuntur. Secundus Uxorius, & Mariti, ubi de ipsorum differentia, de connubiis, &c. Tertius est Regis, & Subditorum, ubi de Fidelitate, & paterno Regis erga suos amore. Quartus est Amicorum, ubi de Amicitia. Quintus de Fratribus, ubi de majoris amore, & minoris obsequio.

Deinde docet ter mille miros ritus, seu præcepta, ad urbanitatem, bonos mores externos, modestiam, circumspectionem, & similia spectantia: Prudentiam, Pietatem, Fortitudinem, qua nos ipsos vincimus, multis, ac egregie laudat; Justitiam, ac virtutem illam, qua alios metimur ex nobis, seu nobiscum conferimus, illud scilicet, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, extollit, ac commendat, in eaque summam perfectionis consistere, docet.

De futuris hæc secta minime sollicita est, nec de iis disputat, ea potissimum persuasa ratione, quod nec ea, quæ ante oculos sunt, & coram videt, recte ordinare, aut intelligere possit. Virtutes omnes tum internas, tum externas sedulo colendas docet, idque faciendum propter ipsum virtutis bonum, seu propter se, nullo alio spectato fine: *Fac, inquit, virtutem absque eo quod altud expedites præmium: ipsa sibi nimis sufficit: nil hac in orbe pulcrius.* Aliaque præclariora in horum Philosophorum libris sunt, quibus nec antiqui illi nostri Philosophi unquam cogitarunt vel paria, vel meliora. Hanc sectam etiam vicini populi sequuntur, ut Choriani, Cochinchinenses, & alii. Confutii Philosophiæ Compendium vide in Hist. Sin. l.4. p.129.

Secunda Sinarum Secta, seu Idololatrica, respondet Philosophis Ægyptiorum, & Sciequa, Omyto, Xekiao, Foëkiao, vulgo Amida, & apud Japonenses Sciacca, Xaca, & Amidabu vocatur, cuius autorem Xaca facit Martinus. Hanc autem si diligenter discutiamus, ab iis Gymnosophistis, Brachmanibus, Persis, Bactrianis, qui Indostanis intercapedine continebantur, profectam, in Chinam deinde Colonias misisse, ex dogmatis eorum facile patebit.

Multitudinem Mundorum hæc credit: Metempychosin, seu animarum, in bruta post mortem transitum, omnem denique Pythagoræ Philosophiam profitetur. De hac Secta ita P. Martinus Martinus in Atlantis China: *Xekiao Secta est, quam nostri putant, primo post Christum natum in China introductam. Metempychosin admittit; duplex est, interna una, externa altera: hæc idola colit: Animarum Transmigrationem post mortem in peccatorum pœnam docet; ab omni, quod vixit, perpetuo abstinet; ridicula lex, & ab ipsis sequacibus sacrificulis passim explosa; necessaria tamen ab ipsis judicata ad*

rudiorum à vitiis abstractionem, & virtutum incitamentum. Interea Mētempsychosin præclaræ putant Philosophiæ moralis partem pulcherrimam, dum spectat passionum, pravarumque affectionum omnimodam vacuitatem, atque viatoriam; hæc dum obtineatur, in animalia, prout illorum affectibus fuerunt homines obnoxii, migrare perhibet. Nihil præmit, nihil pœnæ post mortem agnoscit, nisi vacuum: nihil in hac vita veri esse vult, nisi prout à nobis apprehenditur, idemque bonum, & malum esse respectu diversorum.

Barbam, & cæsariem continuò radunt: in montibus, & speluncis contemplationi vacant: eorum templa plena sunt immanibus idolorum monstros æreis, marmoreis, ligneis, luteis; itaut adyta Persarum dices. Hujus sectæ Philosophiæ. Elementa admittunt, secus ac Sinæ reliqui, ex quibus Elementarem Orbem compositum volunt. Hæc eadem Secta, ex Trigautio l.r. Epedit. Sin. c. 10. certum Triadis modum inducit, quo tres Deos in unum Numen coalescere fabulantur.

Tertia Sinensium Secta, quam ipsi Lanzu appellant, orta est à Philosopho quodam Confutii coævo, quem 80. annis in matris utero, priusquam nascetur, gestatum dicunt, unde eum Lanzu, hoc est, Philosophum Senem, appellant. Hæc Paradisum pollicetur; imo in suis Templis quorundam effigies exponunt, quos ad Cœlos volasse credunt. Ad hanc rem consequenda exercitationes quasdam præscribunt, positas in vario sedendi ritu, certisque precationibus; imo etiam pharmacis, quibus spondent, una cum Divorum suorum favore, vitam in mortali corpore longiorem. Hujus Sectæ asseclarum speciale munus est Dæmonas impiis precationibus, & certis ritibus exorcizatos, domibus pellere. Imbres quoque se daturos, & propulsuros, pro necessitate, promittunt.

Verùm P. Martinius hanc Sectam Epicuream vocat, utpote ea, quæ post mortem nihil esse afferens, in voluptate felicitatem ponit; longam vitam, imo & immortalem per medicinam promittit, multasque ad comparandas, augendasque voluptates artes invenit. Ex hac Magi quidam sunt, & Astrologi, qui omnium maxime Christianæ Religioni infestissimi sunt. Videantur, præter alios, PP. Jesuitæ Martinius, Kirkerius, Trigautius, & Borry, ex quibus hæc de Sinarum Sectis adnotavimus.

Aliter tamen P. Carolus Gobien ejusdem Societatis in Præfat. suæ Hist. de Sinensium Imperatoris Edicto pro Religione Christiana, sentire videtur, dum ait, quatuor esse Sinensium Philosophorum Sectas; quarum primam eorum facit, qui potius cultu Majorum, quam caussa pietatis, unum Supremum Spiritum Omnipotentem, & Æternum in Mundo agnoscunt, qualem fortasse à primis Monarchiæ seculis eorum Majores sub nomine Sciam-ti Domini Cœlorum adoraverunt. Horum numerus minor est, quamvis Imperator hujus melioris, & prudentioris Sectæ caput sit; saepius enim ipse in Templis sacra offerens testatus est, se tantum huic Summo Numini litare, non idolis, & fabulosis illis spiritibus, quos populus sibi finxit.

Secunda, quæ & Prædominans dici posset, est Recentiorum Philosophorum, qui in natura nihil præter ipsam naturam agnoscunt, quam altissimum Mundialis Ædificii culmen appellant: hanc autem naturam definiunt: *Principium Motus, & Quietis*. Universam Mundi Machinam à Suprema Ratione, quam Li vocant, gubernari, inquiunt, eamque caussam esse omnium mutationum, quæ in ipsa accidunt.

Hujus Sectæ institutor fuit Philosophus quidam nomine Tscio lien-chie, qui mortuus est anno Christi 1084. Hic sua dogmata æquivocis semper verbis exponebat: in quorum expositione etiamnum Sipenses interpres laborant.

Du-

Duplicem hi in rerum omnium compositione materiem agnoscant, Perfectam unam, tenuem, & subtilem, hoc est, quæ semper in motu sit; Imperfectam alteram, immobilem, & crassam; ambas tamen æternas, & increatas, infinitæ extensionis, & quodammodo infinitæ potestatis capaces faciunt, quamvis cognitionis, & potestatis privatæ sint. Ex ambarum mixtura quinque Elementa oriri ajunt, quæ prout varie miscentur, varia corpora producunt. Ex ipsis quoque partium Mundi varietas, stellarum motus, terræ quies, agrorum sterilitas, vel ubertas accidere creduntur.

Quamvis autem ipsi potent, omnia quæ in Mundo accidunt, necessariò sic accidere; credunt tamen, Mundum principium habuisse, & finem habiturum, post quem iterum esse incipiet, & sic fore, ut continuo, Phœnicis instar, Mundus reviviscat. Imo quidam ipsorum certam, & determinatam Mundi vitæ periodum statuit 129000. & 600. annorum; quem mysteriosum annorum numerum in 12. conjugationes, ad Mundi perfectiones imprimis necessarias divisit.

Hominem quoque formatum dicunt ex concursu utriusque materiæ, subtilis scilicet, & crassæ: eodem fere modo, quo Plantæ in insulis nondum notis, in quas nemo unquam semina portavit, nascuntur. Animam vero partem hominis priorem ajunt, sed quæ una cum corpore intereat, donec cum eodem corpore casu uniatur, & reviviscat.

In moralibus vero rectius sentire videntur; Publicum enim bonum Sapientis scopum ponant. Ut autem Mundi regimen assumant, hominesque felices reddant, oportet, ut ipsi prius sanctitatem adepti sint, quæ nonnisi per mortificationem passionum acquiri potest. Hanc vero Sanctitatem in eo consistere ajunt, ut actiones, verba, & cogitationes rationi conformentur. Id tamen non è dicunt, quod animæ passiones ex sui natura malæ sint, si iis bene utamur; sed quia ut plurimum animi tranquillitatem turbant: quare ipsas ita domare oportet, ut non effrænis libidinis impetus, sed recta naturæ dogma videantur.

Tertia Secta est Brachmanum, Bramenum, Braminum, Bramans (multifariam enim vocari solent) ab Indis è advecta; gens enim est ex variis regionibus collecta, quod vel ipsum horum Sacerdotum nomen *Hoscian* testatur. Brachmani Sacerdotes tria potissimum summo cultu prosequuntur, Deum Fò, Legem, & Libros, qui particulares regiminis canones continent.

Physica eorum dogmata eadem fere cum dogmatis secundæ Sectæ sunt, nisi quod singulas mundi destructiones, & regenerationes post longiorem periodum absolvi arbitrentur. Moralis vero eorum Philosophiæ pars ad summum usque, & ultra Stoicorum sensus progreditur: nam eousque *Απάθεια*, Impassibilitatem, & Indifferentiam perducunt, ut nonnisi marmoreus homo eam adsequi posse videatur. Sapiens enim secundum ipsis, non solum passiones, sed nec etiam desideria nutrire debet; eoque solum omni studio contendere, ut nil velit, nil cogitet, nil fentiat, quod animi tranquillitati contrarium sit. Atque hic est, ipsi ajunt, profundus animæ somnus, omniumque suarum potentiarum quies: hæc continua sensuum suspensio: hæc tota hominis felicitas; sic enim ipse sapiens, & felix est, &c, ut verbo rem absolvam, Deus est Deo Fò simillimus. Verùm reliquarum Sectarum Philosophi hoc tanquam impossibile considerantes, Brachmanes stultos reputant, quos etiam continuò perse- quuntur.

Quarta Secta est Religio Bonziorum, quæ ex ipsa China originem habuit. Hujus Sectæ Sacerdotes Sinicâ linguâ vulgò *Taoissi*, hoc est Legis Doctores nuncupantur.

Eorum Moralis ab Epicurea non distat. Spiritum tamen in nimia illa, & fe-

& fere impossibili Brachmanum *αναργύριον* non immergunt, sed sufficit, si ab ardentibus desideriis, & passionibus se abstineant. Sapientis scopum Animi Tranquillitatem faciunt, quam solum adipisci posse dicunt, si non aliis, sed nobis ipsis viventes, vitam ab omni cura, dolore, & sollicitudine alienam duca-mus; & neque præsentia, neque nimis futura, quæ animi quietem plerumque turbare solent, sed tantum præsentia intueamur, iisque fruamur. Imo in ipsa animi felicitate inquirenda nos nimis sollicitos esse non debere, inquiunt, ne per violentum desiderium eorum, quibus ad bene vivendum indigemus, animus perturbetur. Omnis autem voluptas nulla debet cum sollicitudine permisceri.

Si quis autem eos interroget, cur uxorem ducant, quæ animi tranquillitatem fere semper turbare solet, respondent, quod hac re attentius pensata, ipsis visa sit uxor theorice quidem domi pessima res, practice vero eorum tranquillitati, & quieti haud contraria.

Sed ne præsentis vitæ felicitas mortis cogitatione amarescat, totos se Chymicæ Medicinæ dedere, per quam homines immortales se reddituros promittunt: unde mediis quibusdam remediorum formulis, & victus ratione singularis ætatibus accomodata, hominis vitam regunt. Sed quantum ex hac sollicita vivendi cupiditate animus perturbetur naturaliter, nemo est, qui non videat.

In Physicis à præcedentibus non discrepant, nisi in paucis quibusdam nominis potius, quam rei quæstionibus: hinc quidam eam cum præcedentibus confundunt. Sed aliarum Sectarum Sinensium, & gentium ipsis finitimarum opinones quasdam hinc apponam.

Secta est alia Indica, Samaraëth dicta, quæ Sinicæ superstitionis vestigia sequitur. Hujus præcipuum dogma est, quod unus sit Deus, qui omnia condidit, & conservat, quem vernacula lingua vocant Parmiscer. Præter illum verò tria minoris dignitatis Numina statuunt, quibus divinum cultum, & certa munia adscribunt. Et primo quidem, quem Brama vocant, à Supremo Domino hoc munus assignatum putant, ut animas in hæc, vel illa corpora humana, vel bruta compellat. Secundo verò, cui nomen Buffiuna, demandatum censem, ut homines voluntatem Dei edoceat, atque ad ejus præcepta (quæ 4. libris descripta consignantur) hortetur; præterea ut agris fertilitatem indat, atque hominibus omnia ad vitam sustentandam suppeditet. Tertius denique vocatur Mais, qui tam hominum, quam brutorum interficiendorum potestatem habet. Vid. Joh. à Trwist. in Ind. Belgicè descripta.

Alia secta Mundum ex aqua, non secus ac Thales, initio conditum putat; quæ aqua vehementius agitata Cœlo quidem ex ampullis, & spumis, Terræ verò ex crassioribus particulis materiem præbuit. Si autem hujus sectæ fautores interrogentur, quisnam initio aquam exagita verit, respondent, ut refert Jarri-cus t. 2. p. 664. sponte ciendi vim ipsi inditam fuisse. Si autem rursus interroges, quisnam ipsis ciendi vim dederit, subrident, quasi plane non ultra quærendum sit.

Ex Idololatrarum secta originem traxit alia, quæ Mundum, & Mundi Conditorem, cum Cœlo, Terra, Hominibus, Brutis, Arboribus, & Plantis unicum, & continuum corpus conflare putat: cujus magni corporis singulæ res singula membra constituunt. Cum his Sinis Cochinchinenses etiam, referente Christophoro Burro Ep. de iisdem, idem sentiunt: ajuunt enim, Mundum nihil aliud esse, quam magnum quemdam hominem, seu Gigantem, cujus caput Cœlum est, oculi astra, pili arbores, plantæ, herbæ omnes, ossa metalla. Ath. Kirker. t. 1. Oed. Ægypt. Synt. 5. c. 3.

Quod

Quod ad opiniones verò præcipuas, notandum, Sinarum quosdam quinque Elementa stabilire, Aquam, Ignem, Lignum, Metallum, & Terram; ex quibus etiam quinque sapores provenire, ajunt; ex Aqua scilicet salsum; ex Igne amarum; ex Ligno acidum; ex Metallo acre; ex Terra denique dulce. Quæ Elementa quinque Planetis, quos in inferiora agere Sinæ animadvertebant, applicarunt; Saturno scilicet Terram, Jovi Lignum, Marti Ignem, Aquam Mercurio, & Veneri Metallum.

Sinæ, Chaos in rerum productione in duas qualitates divisum fuisse, docent, Yn, & Yang, Occultum scilicet, quod etiam Imperfectum; & Patens, quod Perfectum quoque vocant. Quomodo autem ex his duobus rerum Principiis cuncta nata, & perfecta sint; Signa etiam, seu Imagines, quas quatuor statuunt; Formas, quas octo; & Symbola, quæ sexaginta quatuor, vide apud Martinium Hist. Sin. I. i. p. 5. & sequentibus.

Chaos autem hoc vocant Sinæ Ovum; cujus cortex in Cœlum, albumen in Aërem, & vitellum in Terram abiit; idque media nocte sub eo tempore, quo astra Cœlum exornantia solsticiali, brumalique revolutione vertuntur; eo autem ordine, ut primo Cœlum, deinde Terra, tum spiritus, postremo tandem homines existiterint. Ejusdem quoque sententiae sunt Cochinchinenses. Idem quoque aliæ nationes dixerunt; Phœnices enim pro Mundi Symbolo Ovum posuerunt in Orgiis, Libero Patri ab Orpheo institutis, teste Plutarcho in Symp. I.z. quæst. 3. & Macrob. Saturn. I.7. c. 16. Ovalem quoque figuram Mundo tribuit Sanchoniathon antiquissimus rerum Phœniciarum scriptor. Thebaidos quoque incolæ Deum mundi opificem repræsentare volentes, ore Ovum effundentes, pinxerunt, per Ovum illud Mundum interpretantes. Ita etiam Ægyptii Kneph, hoc est, Creatorem Cœli, & Terræ pingebant, Zonam cum sceptro tenentem, & Ovum ex ore producentem. Idem significare videtur illud Orphei Ovum fabulosum, adnotante Plutarcho, quod in duas partes dissoluisse ajunt, quarum altera sursum elata Cœlum, altera verò deorsum Terram constituit. Unde notat Vergilius, Ova religioni inserta, & à multis gentibus in honore habita.

Circa hominis productionem quamvis varia sit Sinarum opinio, in hoc tamen omnes fere consentiunt, Puoncum primum hominem fuisse: ipsum tamen alii è deserto prodeuntem, & ignorantiam suorum natalium confidentem faciunt; alii à Chao tanquam ex Ovo natum perhibent. Aristoteles etiam de Generat. Animal. 3. c. 2. hominum, quadrupedumque primam generationem ex Ovo, vel verme fuisse fatetur. Primum itaque hominem Sinæ dictum fabulantur Ovum, quod ex Ovo prodierit; cuius filium Oën appellant, Astronomiæ, & Literaturæ inventorem.

Præter Deum omnis boni Principium, Sinenses Dæmonem quoque sub variâ animalium figura colunt, quem omnis mali autorem putant. Hinc ad malæ omnia depellenda templa ipsi, & adorationes statuunt; non secus ac Romanæ Febri templa erexerunt, ne obesseret. Dæmonis figura, dextera pugionem, sinistra solem tenentis, mōrientibus sistitur, ne noceat. Modus autem, quo adorari solet, talis à rerum Sinicarum scriptoribus traditur. Ante Idolum flexis genibus in faciem provolvuntur, & capite terram aliquoties ferientes, quicquid frumentum, aliorumque eduliorum allatum ab ipsis est, supra aram Idolo offerunt, ejusque pedibus subjiciunt. Idem fere de quadam Japonensium secta tradit Vileba p.47.

Japonii, & Tapujani idem quoque cum his Sinensibus sentire videntur, qui Numen duplex agnoscunt, Bonum unum, quod quia sponte benefacit, & neminem lædit, non adoratur; Malum verò alterum, quod ex eo quia iracundum, & cultum sibi præstare negligentes male perdat, adoratur, & invocatur. Ejusdem quo-

quoque sententiae perhibentur Brasileenses à Lorio Hist. Navigat. in Brasili. c. 16. Ritus verò , & cæremonias in hoc Diaboli cultu ab Indis observatas lege apud Lud. Barthema l.2. dell'Indie c.2. & Kirch. Oed. Ægypt. t.1. Synt. 5. c.4. Quæ autem sit Idololatræ sectæ de rerum gubernatione sententia , lege apud Mendoza l.2. c.2.

Yeking , teste Martinio Hist. Sin. p. 6. nil nisi Philosophiam Mysticam , Pythagoricæque persimilem continet : originem autem potissimum à Mercurio Trismegisto traxisse volunt; quem Theologiæ suæ mysteria per allegorias exposuisse , easque Surmobolum , & Thurroneum in lucem protraxisse , ex Sanchoniath. autor est Euseb. l.1. Πρωταρ. c.7. Philo Bibliensis Græcus , Sanchoniathonis interpres .

Symbolicæ hujus Sinarum Philosophiæ vestigia quædam in dicto Yeking reperiuntur . Tale est Symbolum illud, quo Confutius Incarnationis Dei mysterium præcognoscens , exposuit. Anno Imperii Kingi 39. forte Lu Regis venatores extra Occidentalem urbis portam animal rarum Kilin (quod Sinico idiomate Agnum Dei denotat) occiderant . Id cùm relatum esset Confutio , ingenti suspicio pectus concutiens ingeminavit : *Quis Te advenire , Kilin , dixit ? Quis Te advenire , Kilin , dixit ? jam jam doctrina mea extremum spectat , jam finem habet , cùm Tu adveneris , &c.* Vid. Martin. Hist. Sin. pag. 131.

Quia tamen Moralis Sinarum Philosophia verè mirabilis est , præter ea , quæ supra de illa memora vi , pauca hīc etiam subnectere animus est . Sinæ igitur omnia bene vivendi præcepta ad sex capita reducunt . I. Parentibus omnes obediunto . II. Superioribus honorem , & observantiam deferunto . III. Inter proximos , & vicinos pacem , & concordiam concilianto . IV. Liberos , ac Nepotes literis , & disciplinis honestis instruunto . V. Partes , & officia sua quilibet debite exsequatur . VI. Nemini ulla injuria irrogetur sive corporis læsione , sive adulterio , sive furto . Quas leges singulis noviluniis , & pleniluniis præcones publici oppidatim per universum Sinarum Regnum paulo ante solis ortum magna voce recitare debent ; imo eadem ab omnibus etiam pueris addiscuntur .

Prima igitur inter Morales virtutes Cardinales dictas ex Sinarum mente Pietas est , seu obedientia erga Parentes ; quæ Pietas ab ipsis definitur : *Ratio , sive modus bene amandi* . Imò tanta Sinarum erga Parentes observantia est , ut eorum mortem amictu lugubri ad triennium usque deplorent ; quo tempore nec conjugia ineunt , nec gradus , vel officia suscipiunt : locum quoque , cibum , supellectilem cum vilioribus permутant , nec nisi in humili scamno sedent : officia etiam splendidissima deserunt , atque domum ad justa persolvenda se conferunt , Plutarchi illud imitati : Γενεῦσι τιμὴ μετὰ Θεῶν πρώτης , καὶ μεγίστης , Parentibus honorem post Deos primum , & maximum deferendum . Vid. Longobard. Ep. p. 29.

Secunda est Fortitudo , quæ à Confutio , & Mentio in Internam , & Externam dividitur . Prima est , qua vir nihil formidat ; secunda , qua nil injustum , nil rationi absconum admittit : utrumque enim animi debilitatem indicat . Hinc veram Fortitudinem in moderatione affectuum Sinæ cum reliquis ferè gentibus reponunt .

Tertia est Justitia , quæ ab ipsis definitur : *Lex , seu convenientia reddere agendi* .

Ultima Cardinalium virtutum Prudentia est , quam Confutius per exactam rituum , & exemplorum cognitionem definivit . Sunt autem & aliae quinque virtutes his ancillantes , & veluti ex his ortæ ; Veritas scilicet , Urbanitas , Beneficiorum grata memoria , Benevolentia erga bonos , & malos , amicos , & inimicos , & Modestia .

Tandem pauca addam de Sinarum Characteribus, scribendi modis, Doctoratu, & similibus. In Characterum numero determinando non omnes conve- niunt. Petrus Jarricus Thes. rer. Indic. t. 2. c. 17. quadraginta millia numerari posse ait. Mercator Atl. Maj. quinque millia. Athan. Kirker. Oed. Ægypt. t. 3. Theat. Hierogl. c. 2. p. 10. octoginta millia esse scribit, quibus instructus esse debet, qui ad summos Literatorum honores adspirare velit; ex quibus tamen tan- tum decem millia ad idioma perdiscendum sufficient. M. Martinius Præf. Hist. Sin. sexages mille, omnes figura, & significatione diversos afferit. Alii denique usque ad 120000. extendunt.

Scribendi autem modi quatuor numerantur. Primus est à dextra sinistrorum, qualis Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, & Ægyptiorum, teste Herodot. in Euterpe. Alter à sinistra dextrorum, quem Græci, & Latini observant; & inter Orientales Armeni, Georgiani, & Æthiopes. Tertium θυρωφονδὸν nuncupant, quo scilicet ad modum bovum sulcos ducentium scribitur, incipiendo secundam, ubi prima linea desinebat. Qui mos antiquissimis Græcorum patuit; ut patet ex Pausania Eliacor. priori; qua etiam scriptura exaratæ erant leges Solonis. Quartus denique, & ultimus modus, quo à summo ad imum de- venitur. Hoc usi sunt incolæ Taprobanæ, quæ est in Australi Oceano, teste Diod. Sicul. in fine l. 2. ubi ait: Γράφεται δὲ τοὺς σίχους ἐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτάνοντες, οὐπερ ἡμῖν, αὐτὸν ἀναθεν κάτω καταγραφούστες εἰς ὅρθὸν. Scribunt versus non eos in trans- versum extendentes, uti nos, sed à summo eos in imum rectâ diducendo. Quod scribendi genus non apud Sinas tantum, sed apud plerosque Indos in usu est.

Præcipuum Sinarum studium circa Eloquentiam est, sed in scribendo potius, quam eloquendo. Id Sinenses ipsi confitentur, sicut confessus est Doctor ille Sinensis, qui cupidus scire studia Europæorum, Matthæo Riccio ipsa expo- nenti (Mathesim namque, Aristotelicamque Philosophiam commentario, Si- nica lingua exarato, & saepius ab ipsis recuso, Sinas docebat) respondit: Video, vos incipere, ubi nos terminamus; Eloquentiæ scilicet studium notans, quod eos à puerili ætate ad senectutem usque occupatos tenet. Trigaut. l. 4.

Tres autem literarum gradus à Sinis conferuntur, quos cum Baccalaureis, Licentiatis, & Doctoribus nostris convenire ajunt Jarricus t. 2. Thes. rerum Indic. pag. 636. & N. Trigautius l. 1. Expedit. Sin. c. 5. quos gradus insignis quidam Literatus, Cancellarii quasi munere à Rege ornatus, confert, instituto prius examine satis rigoroso; quod præcipue in Thematis alicujus de Regno, & Rep. elaboratione consistit: tam arctis tamen includitur limitibus, ut vix vigesimus voti compos reddatur. Doctores verò creati insignes immunitates, privilegia, & honores accipiunt, proprio habitu, pileo, & aliis iugistratum insignibus gau- dent, & ad Reip. administrationem evehuntur.

Imperator Chingus, sive Xius, ut omnium Imperatorum, qui ipsum præ- cesserunt, famam extingueret, publico edicto omnes Sinicos libros exuri jussit. Sed tamen M. Martinius Hist. Sin. l. 6. p. 210. subdit, eum insigne dedecus, & infamiam apud posteros invenisse, unde famam præclararam quæ- sierat.

Coronidis loco h̄ic notandum, quod Martinius afferit, se scilicet in Pro- vincia Fokien imagines quasdam, Christianæ Fidei, ibi ab Apostolo Thoma, ejusque discipulis olim prædicatæ vestigia vidisse, Cruces scilicet pervetustas (qualis est ea, quam P. Alvarus Semedo Relat. Magn. Chin. Monarch. Part. 1. c. 31. refert, anno Christi 1625. in Civit. Sigansū, Metropoli Provinciæ Xensi in marmore spithamas novem oblongo, lato quatuor, & unam profundo in- sculptam, effossam fuisse, circa quam Christianæ Fidei dogmata Sinicis, & Syriacis characteribus inscripta erant; quæ fusius apud ipsum, qui Crucem in

Sinis vedit, & dogmata interpretatus fuit, videre est) Idolum triceps, quod seipsum considerat; tabulas duas, quarum una refert duodecim venerabiles senes, altera Feminam, quæ in ulnis infantem gestat, cum inscriptione quadam, quæ ipsam post partum Virginem afferit. Quas imagines Martinius ipse, ac plerique alii Sanctiss. Trinitati, Sanctis Apostolis, & Beatiss. Virgini simul & Matri applicant. Atque hæc de Sinis. Japon. Sectas vid. apud Xaver. in Ep. Ind. p. 68.

C A P U T VI.

De Phœnicum Philosophia.

PHœnicum Philosophia sacris libris conformis magis visa est, quia Phœnices ab Assyriis descendentes, Hebræis, penes quos omnis Sapientia erat, proximi habitabant. Phœnices itaque Syriæ populi, qui & Græcarum literarum inventores vulgo creduntur, Judæis contermini à Chanaan ortum ducentes, principaliorum Occidentalium Philosophiæ sectarum autores habentur. Pythagoras enim Italicæ sectæ pater, Pherecydis Syrii, hoc est, in Syria Asiæ parte, cuius Regio Phœnice est, discipulus fuit. Ipse autem Pherecydes cuius auditor fuerit, non constat; unde à Suida *αὐτομάθης* creditus est, dum ait: *Fama est, eum esse præceptorem Pythagoræ, sed à nemine institutum: exercuisse autem seipsum, cum comparasset sibi reconditos Phœnicum libros.*

Thales quoque Jonicæ sectæ pater ex illustri Phœnicum familia, referente Laërtio, aliisque, ortus est: sed de hoc fusiùs in 3. libro agemus. Sic & Stoicorum secta a Zenone Citieate, hoc est in Citio Cypri oppido nato, ut testatur Laërt. Suid. & Cic. quod Phœnices, qui & Pœni dicti sunt, tenuere: unde Cic. 4. de Fin. Pœnulum, & Suidas Phœnicem ipsum appellant.

Phœnices Historiæ, ut tradit Joseph. l. i. contra Apionem, à Phœnicum Sacerdotibus conscribi consueverunt; quæ verò ad Theologiam pertinebant, à solo Sanchoniathone Berytio (cujus elogium habet Porphyrius, & ex Porphyrio Euseb. Præparat. Evangel. l. 10. c. 9. & de quo supra nos quædam attulimus) scripta sunt; quæ tamen ipse ab Hierombal Sacerdote Dei Jevo, hoc est, Deo Hebræorum, quem ipsi Jeova appellabant, didicerat. Probabile tamen est, Phœnicas aliam Theologiam, & Philosophiam antiquitus habuisse, quam quæ à Sanchoniatone in sua historia, tradita est; licet hic Trojanis temporibus antiquior credatur.

Denique notandum hīc ex Eusebio, Phœnicas, & Ægyptios primos fuisse, qui Soli, Lunæ, & Stellis divinitatem tribuerunt; quorum cultum omnibus suis Coloniis præscripserunt.

C A P U T VII.

De Ægyptiorum Philosophia.

OMnis Africana Philosophia, ex Josepho Antiqu. Jud. l. i. c. 16. in Ægyptiacam, Æthiopicam, & Lybicam dividitur. De quibus singillatim agemus. Et primo de Ægyptiaca.

Quamvis Aristoteles l. i. de Philosophia, referente Laërt. in Procem. Magos Ægyptiis antiquiores faciat; Ægyptiacam tamen Philosophiam antiquissimam fuisse,

fuisse, vel ex eo evincitur, quod Ægyptii Abraham, & deinde Josephum agnoverint Præceptores; & Moses ipse adhuc juvenis in omni Ægyptiorum Sapientia eruditus fuerit, ut habetur Act. Ap. c. 7. Quamvis Ægyptii Vulcanum Nili filium Philosophiæ principia sibi aperuisse dicant.

Ægyptii Sapientes (seu Sacerdotes ; hi namque omnem scientiam profitebantur, quoque Patriarcha Josephus, ut ad scientias, & præcipue Mathemáticas, ex necessitate dimetiendi, limitibusque signandi agros, quotannis ab inundante Nilo confusos, incumbere possent, vacare permiserat) variis apud autores nominibus insigniti sunt. Clem. Alex. i. Strom. eos Prophetas appellat, quem multi quoque secuti sunt. Democritus Arpedonaptas, & idem Clem. & Euseb. eos Ægyptiaca voce Arsepedonaptas nominant. Suidas verò, cum eos Γυμνοσοφιστας appellasse visus est.

Ægyptios Sacerdotes, referente Laërt. & Plutarch. Græci Philosophi petiere; in primis verò Thales, qui *Nullo præceptore usus est, nisi quod in Ægyptum profectus, ibi cum Sacerdotibus familiariter est versatus*, ut ait Laërt. Pythagoras quoque, Plato, & Democritus, ut testatur Cic. 5. de Fin. inquiens: *Cur Plato Ægyptum peragravit, ut à Sacerdotibus Barbaris numeros, & Cœlestia acciperet? cur ipse Pythagoras & Ægyptum lustravit, & Persarum Magos adiit? cur hæc eadem Democritus?* Ad antiquitatem etiam Ægyptiæ Sapientiæ, respectu tamen Græcorum, probandam conductit, quod habet Plato in Tim. ubi de Solonis in Ægyptum itinere verba facit; quemdam scilicet ex Sacerdotibus Ægyptiis grandem natu Soloni dixisse: *O Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam è Græcia senex.* *Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia.* Idem Ægyptii Sacerdotes Euripidem ad ipsos profectum, & ægrotantem, referente Laërt. in vita Platonis, marina aqua ablutum sanitati restituerunt; quare postea dixit:

Οὐλαόσα πλοῦτα τὸν αὐθεόπων νοεῖ.

Mare proliuit universa hominum mala.

Quin & dixisse ferunt juxta Homerum, Ægyptios omnes Medicos esse. Magnum siquidem antiquis temporibus Ægyptiorum Sacerdotum nomen fuit, Strabonis verò ætate, ut idem refert, prope nullum: *Hi enim Philosophiam, & Astronomiam exercebant, & cum Regibus conversabantur*, teste Porphyr. l. 17. de Abstinent.

Præter hæc sunt & alia veterum scriptorum testimonia, quibus aperte probatur, Græcos Ægyptum petuisse, ut ex Ægyptiis Sacerdotibus scientias fere omnes, quibus carebant, ediscerent. Sic enim de Pythagora in Ægyptum proficiscente Val. Max. l. 8. c. 7. *Ægyptum petiit, ubi literis ejus gentis assuefactus, præteriti evi Sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium seculorum observationes cognovit.* Et Divus August. de Ægyptiaca antiquitate in l. 18. Civ. c. 39. & 40. loquens, hæc habet: *Longe quidem ante Sapientes, vel Philosophos Græcos: sed tamen post Abraham, post Isaac, & Jacob, & Joseph, nimirum post ipsum Mosen.* Ubi Ægyptios etiam irridet, quod suarum scientiarum antiquitatem per centum mille annos jactant. Clem. quoque Alex. i. Strom. Græcos Ægyptiis multum debere, fatetur, quod eos Scientias edocuerunt, & quod Democritus Morales libros scripsit Babylonicos. Dicitur enim Acicari columnam interpretatus esse, & suis scriptis inseruisse. Et Jamblic. de Myst. sect. l. c. 2. *Si quod Philosophicum dubium proponas, illud etiam determinabimus tibi juxta antiquas Mercurii columnas, quas Plato, & Pythagoras olim lexitantes, Philosophiam inde constituerunt.* Et Euseb. Præp. Evang. l. 10. pag. 480. Edit. Marcellian. id etiam evincit ex testim. Diod. Sicul. in Biblioth. Hist. l. 1. ubi hæc

Diodorus habet: *His autem à nobis bene dtjudicatis, dicendum, quod quotquot apud Græcos glorificati fuerunt propter intelligentiam, & eruditionem, in Ægyptum antiquis temporibus advenerunt, ut legalium disciplinarum, & eruditio[n]is, quæ ibi erant, participes fierent. Sacerdotes enim Ægyptii, &c.*

Inter præcipua Ægyptiorum dogmata hæc ab Hecatæo, & Aristagora, ut ex Laërt. habemus, referuntur: Mundum scilicet esse genitum, mortalem, & sphæricum: Materiam fuisse rerum principium: ex ea deinceps quatuor Elementa discreta, & plura animalia effecta: Deos esse Solem, & Lunam, illum Osirim, hanc Iisin vocatos: Stellas esse ignem, quarum temperata commixtione cuncta super terram nascantur: Lunam deficere, cum in terræ umbram incidit: Animum perdurare, & transmigrare: Pluvias ex aëris conversionibus fieri; & quæ sunt hujusmodi. Hæc eadem allegoricè etiam tradere solebant, rerum omnium principium Osiridi, Iṣidi, & Typhoni, hoc est, Soli, sive principio activo, Lunæ, sive principio passivo, & Mundo tribuentes; quæ Plato etiam, & Hesiodus imitati videntur. Videatur Cœlius Calcagninus l. 11. Epist. 1. de Oro Apolline, Plutarchus, aliique. Nugatorie etiam dicere solebant, stellas jam quater cursus suos vertisse, & Solem bis jam decidisse, unde nunc oritur, ut ait Mela l. 9. Plutarchus lib. de Iside, & Osiride ait, Ægyptios duo rerum mundanarum principia agnoscere, omnis boni, & generationis unum, alterum omnis mali, & corruptionis. Ægyptii Philosophiam suam referre solent ad Isim, Osirim, Vulcanum, Mercurium, & Herculem, ut testatur Diod. Sicul.

Prima autem, & propria Ægyptiorum disciplina circa triplicem versabatur scripturam; Vulgarem scilicet, sive communem Επιστολογραφικῶν, qua in Epistolis scribendis utebantur: Sacram, seu Sacerdotalem, ἱερατικῶν, qua scilicet ἱερογραμματῶν, Scribæ Sacrorum in sacris scribendis utebantur; & ἱερογλυφικῶν, sive Sacrarum rerum Sculpturam, quæ & ipsa variabat, ut pluribus ostendit Clem. Alex. 5. Strom. Quorum quoque meminit Porphyrius in vit. Pythag. Lucianus in Hermotimo, Cyrillus l. 9. adversus Julianum, Plutarchus de Iside, & Osiride, Jamblicus, aliique. Videatur præter hos Joh. Pier. Valer. qui speciale, & eruditum de Hieroglyphicis Ægyptiis Volumen confecit.

Et quidem Ægyptiaca Philosophia magna ex parte allegoriis occultari consuevit, quæ philosophandi ratio Ægyptiis propriam Philosophiam constituebat. Quem etiam docendi morem Christus Dominus servasse visus est, qui in Evangelii ait: *Aperiam in Parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar: & alibi in eisdem Evangelii de Christo sic dicitur: Jesus in Parabolis loquebatur ad turbas.* Videantur Ægyptiorum Mysteria à Jamblico scripta, qui Porphyrii discipulus fuit, & de Ægyptiorum Sacerdotum Religione, & rebus divinis scripsit.

Clem. Alex. Strabo, Herodotus, aliique plures, artes Ægyptios invenisse, scribunt, tum liberales, tum mechanicas. Sic enim Clem. 1. Strom. *Primi itaque Ægyptii Astrologiam ad homines deduxere Ægyptii rursus primi lucernas accendere docuerunt, & annos in mensis duodecim diviserunt, & in templis cum mulieribus coire prohibuerunt, neque ad sacra ab uxore illotis adeundum esse, lege sanxerunt. Et rursus inventores fuere Geometricæ.* Sed cum supra satis probatum sit, scientias non minus, quam mechanicas artes ab Hebræis inventas fuisse; dicendum potius est, Ægyptios aut aliquas invenisse, aut ab Hebræis inventas exercitatione auxisse.

Idem Clem. 6. Strom. ait, ex sacris Ægyptiorum ceremoniis apparere, Ægyptiis propriam quandam fuisse Philosophiam; sed cuius partes non omnes in omnibus exigerentur. Aliud enim sibi vindicat Musicus ἡ οὐρανος, sive Cantor, qui primus procedebat, symbolum aliquod musicum gestans, ac duos illos

Mer-

Mercurii libros, quorum unus Hymnos Deorum, alter rationem vitæ Regiæ continebat.

Aliud Horoscopi, sive Astrologi munus, & scientia; ipse enim Cantorem consequens, horologium, & palmam in manu gestabat, Astrologiæ symbola; in ore autem quatuor Hermæ libros Astrologicos, quorum unus de quinque planetis, alter de Sole, & Luna, tertius, & quartus de ortu siderum.

Tertius sequebatur ἕρογραμματεὺς, sive Sacrorum Scriba, pennas in capite gestans, habens in manibus librum, & regulam, in qua atramentum scriptorium, & calamus ad scribendum. Hunc scire oportebat Hieroglyphica, Cosmographiam, Geographiam, Astronomiam, Ægypti Chorographiam, Nili, omniumque locorum sacrorum descriptionem, & dimensionem, & quicquid in sacris utile erat.

Quartus ordine succedebat Στολιστής, sive Ornator, qui justitiæ cubitum, & calicem ad libandum habebat. Hic Παιδεύτης, sive quæ ad eruditionem, & liberales disciplinas pertinent, & Μοχοσφαγίςτης, hoc est, doctrinam de Sacrificiis Vitulorum, & circa hæc ceremoniis, noverat.

Ultimus erat Propheta, hydriam in sinu gestans, & pone ipsum, qui panes emissios portabant. Erat hic τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν προσάρδων ἐπισάρτης, Sacrorum, & vectigalium Præfectus, qui ἑρατικὰ βιβλία, Sacerdotales libros edidicerat, in quibus de legibus, Diis, ac universa Sacerdotum disciplina. Omnes autem Sacerdotales libri à Mercurio Ægyptio conscripti erant 42. quorum 36. omnem Philosophiam Ægyptiorum continent, ab iis ediscebantur, quos modo diximus, reliquos vero sex de Medicina tractantes Παξοφόροι, seu pallium gestantes ediscebant.

Quod vero ad Moralem Philosophiarum partem attinet, notandum hinc Strabonis illud l. r7. *Id de maxime laudatis eorum moribus est, quod omnem prolem educant.* Et quidem eorum Mercurius non solum literas, & scientias, sed & leges ipsis tradiderat, ut præter Laërtium refert Cic. 3. de Nat. Deor. ubi ait: *Mercurius dicitur in Ægyptum præfuisse, atque Ægyptiis leges, & literas tradisse.*

In Theologicis denique optime sentiisse visi sunt, qui, ut Jamblicus refert, docebant, quod Deus est Principium, Unitas, supereminenter Ens, ipsum Unum super ens, super Intelligibile totum. Nam opifex Intellectus, qui & Veritatis Dominus est, atque Sapientia Ev. Et Plutarchus l. de Iside affirmit, quod in Templo Minervæ in Ægypto hæc legebatur inscriptio: *Ego sum, quod existit, est, & erit, meumque peplum nemo mortalium unquam detexit.* Quod Sacrae Scripturæ sensui conforme videtur, in qua Deus de se ait: *Ego sum quis sum.* Imo idem Plutarch. ibidem nobis ostendit, Ægyptios Divini Verbi cognitionem ab Hebræis habuisse, inquiens: *Quod Mens, & Verbum Dei, cum esset per se in invisibili, & in abdito, processit motu ad creationem.* Quare factum est, ut ex ipsis Ægyptiis suam illam de Verbo doctrinam Plato à Præceptore suo Sechnuphide Ægyptio hauserit, ut fusiùs infra in Vita Platonis.

Ægyptii suam etiam Theologiam Hieroglyphicis oculere, & involuere solebant; qui de Heroibus, Transmigratione, & Dæmonibus, seu Spiritibus ea sentiebant, quæ Græci deinde ex ipsis habuerunt. Tandem ex Clem. Alex. quinto Strom. notandum hinc est; quod Ægyptii non omnibus ea, quæ apud ipsos erant, committebant Mysteria; neque rerum Divinarum cognitionem deferebant ad profanos, sed ad eos solum, qui erant ad Regnum perventuri, & ex Sacerdotibus iis, qui erant judicati probatissimi, & educatione, & doctrina, & genere. Illi vero, qui ad Regnum, & ad Prophetiam erant electi, Hebræorum more ungebantur.

De Philosophia Ætiopica, & Libyca.

AThiopum Sapientes Divus Hieron. l. 4. in Ezech. c. 13. Gymnosophistas appellavit, dum ait: *Indorum Brachmanes, & Æthiopum Gymnosophistas*. Forsan quia Æthiopes nomen simul, & Philosophiam ex Indis retulere; ut videre est apud Philostratum in Vita Apollon. l. 6. c. 4. & Lucianum, qui Æthiopum Philosophos Indorum propaginem facit. Gymnosophistas in Ægypto etiam fuisse, eosque Nili longitudinem habitasse, cit. Philostratus testatus est in Vita Apollonii, quem ad hos Ægyptios Gymnosophistas profectum ait. De his in Fugitiv. loquens subdit: *Sapientia vero magis ab Indis superantur, quam ipsi cæteros Ægyptios superent eadem*. Laërtio quoque, & Hesychio Democritus ad Gymnosophistas, Æthiopum Doctores Philosophiæ caussa profectus creditur. Refert Clem. Alex. 7. Strom., quod Æthiopes sibi similes fingunt Deos, nigros scilicet, & simos; Thraces vero fulvos, & cæruleos.

Libyca Philosophia, præsertim vero Astrologia ab Atlante originem duxisse, omnibus ferè traditur; unde & Atlas ob summam Astrologiæ peritiam, Cœlum humeris sustinere creditus, altissimo Monti ex sui nomine nomen fecit. Atque hinc etiam factum est, ut Libycam Philosophiam profitentes & Libyci, & Atlantici à Diod. Sicul. Divo August. aliisque dicti sint.

Fuit autem Atlas, quem Laërt. in Præfat. Libycum facit, & inter antiquos Philosophos commemorat, Libyæ filius, sicut Plinio l. 7. c. 56. placet, & Saturni frater, ut vult cit. Diod. Sicul. qui de eo hæc habet l. 3. *Astrologiæ exactam cognitionem habuisse perhibent, qui & Sphæræ rationem primus manifestavit. Ex quo Mundum universum humeris ejus incumbere, opinio nata est*. Et Euseb. in sua Chronica Atlantem, quem Promethei fratrem fuisse putat, sex annis post mortem Patriarchæ Joseph, & alibi sex annis post natum Mose locavit; de quo subdit: *Atlas frater Promethei præcipuus Astrologus fuit; qui ob eruditionem disciplinæ Cœlum etiam sustinere dictus est*. Et Virg. 1. Æneid.

- - - - - *Cithara crinitus Jopas
Personat aurata; docuit, quæ maximus Atlas,
Et canit errantem Lunam, Solisque labores.*

Cic. autem 5. Tuscul. loquens de Secta ab Atlante instituta, quæ de Atlante fabulose traduntur, ea ad historiam retulisse visus est, dum ait: *Nec vero Atlas sustinere Cœlum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi Cœlestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxisset, à quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, Sapientes & habebantur, & nominabantur.*

Phryges etiam suam Philosophiam habuerunt, quæ magis cognita esset, si extaret Democriti Λόγος Φρύγιος, Sermo Phrygius, sive de Philosophia, & rebus Phrygiis, quem Laërt. memorat l. 9. De eorum Theologia vide Diodorum Siculum, & Eusebium.

C A P U T I X.

De Philosophia Scytharum, Thracum, & Gallorum.

NON equidem nego, fuisse Scythes gentes indomitas, agros habitantes, indolis sævæ, & brutalis potius, quam humanæ, nec ad literarum studiæ pronæ; nulla tamen ex antiquissimis nationibus gens fuit, quæ suos Sapientes, & Philosophos non habuerit, ut notat Clem. Alex. i. Strom. unde & Scytharum genti suos Doctores fuisse dicendum est: quorum unum Anacharsim, Scytham memorasse sufficiat, quem Laërtius inter antiquos Sapientes ex multorum opinione retulit, quiue scribitur, Græcorum multis antecelluisse Philosophis, apud quos etiam in admiratione fuit. Hic dicere solebat: Mibi indu-
mentum est læna, cæna lac, & caseus. Et hæc est Barbara Philosophia, sed
vera, quæ facta, non verba profitetur. Sed de hoc fusius in 3. libro, ubi de
Græciæ Sapientibus, inter quos Anacharsis numeratus est, agemus. Justin. l. 2.
c. 1. Scythes Ægyptiis ipsis antiquiores facit; ait enim: *His igitur argumentis
superatis, Ægyptiis antiquiores semper Scythæ vissi.* Clem. Alex. loc. cit. inter
Scythes, & propriè inter Bactrios fuisse Samanæos Philosophos, refert.

Inter antiquos Europæ Sapientes maxime semper celebrati sunt Thraci. Quæstio tamen inter scriptores est, num Thracæ Græcis fuerint antiquiores. Cum enim, ut Laërt. aliique referunt, Thracæ à Zamolxi Philosophiam hauserint, qui Zamolxis Pythagoræ servus creditur; dicendum esset, Thracæ Philosophiam Græcis debuisse. Verum qui rem attentiùs pensitarunt, Zamolxim, à quo Thracæ Philosophiam habuere, multis ante Pythagoram annis existisse, ex Chronicis eduxerunt, ut Herodotus, quem Laërtius sibi arrogat, aliique. Hinc (si quis unquam fuerit Pythagoræ servus nomine Zamolxis) duos Zamolxes distinguunt, quorum unum quidem Pythagora antiquorem, Thracum Magistrum; alterum vero Pythagoræ servum faciunt: imo ipsummet Pythagoram à Thracibus multa haussisse, multi cum Hermippo contendunt.

Verum quicquid de hac temporis antiquitate sit, illud certum est, Zamolxim, & Pythagoram in multis convenisse, præcipue vero in Metempsychoſi, quam Thracæ à Zamolxide edocti fuere, ut refert Julianus in Cæsariis. Neque parvi momenti illud est, quod habet præ cæteris Suidas, Græcos scilicet à Thracibus Religionis Mysteria accepisse, quod à nomine Θρακίας probare videtur; quod nomen à Thracibus devenisse autem.

Qualis autem fuerit Thracum Philosophia ex parte cognosci poterit ex doctrina Orphei, qui Thrax fuit; de quo plura inferius, ubi de Philosophia Mythica. Quædam autem hic ex Herodoto decerpit de Thracum Theologia tradam. Animam Thracæ immortalem ponebant, quæ ex hoc Mundo egredia in Zamolxidis sinu (quem proprium Legislatorem tanquam Dæmonem, seu felicem Genium honorabant) quiesceret. Eorum mos erat super recens natos nimium ingemiscere, quod plures miserias, & ærumnas pati deberent; contra vero super mortuos omnia lætitiae signa dabant, quod ex his mundi miseriis egressi fuerint. Polygami cum essent, si quis plurium uxorum vir moriebatur, singulæ ejus uxores id summe contendebant, ut se supra reliquas à defuncto amatam demonstraret: quod si quæ probasset, id ei in præmium dabatur, ut una cum marito sepeliretur.

Dacos quoque, sive Danos Thraciæ populis quidam adnumerant (Daciam enim alii Scythiæ Europææ regionem, alii vero Thraciæ partem, vel ei con-
ter.

terminam faciunt) quorum Doctores Josephus Antiqu. Jud. I. 18. c. 2. Πλάστες, Platos appellat; quos summe laudans Esæis æquiparat, de quibus ibi loquens ait: *In summa eandem fere vivendi rationem sequuntur, quam bi, qui apud Dacos P. sti nominantur.*

Gallos, sive Celtas Philosophiam Druidæ docuere, & qui Semnothei, seu (ut quidam, à suppositio illo Beroſo Annii Viterbiensis decepti, volunt) Samothei à Deorum cultu, & religione vocabantur, ut testatur Laërt. ex Autore Magici, & Sotione in 13. Succession.lib. Cur autem Druidæ dicti sint, non bene constat apud Etymologos. Quidam volunt, Druidas esse à Δρῦς, *Quercus*, cuius summe admiratores, & amatores erant; ejus enim frondibus caput coronabant, & omnia sacrificia ornabant; nemora, in quibus quercus frequentissimæ, habitabant, & venerabantur; de quibus sic Plin. I. 16. c. 44. *Nihil habent Druidæ visco, & arbore, in qua gignatur, si modò sit robur, sacratus. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine illa fronde consciunt; ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri.*

Sed potius audiendus videtur Strabo, qui ait, in vocibus barbaris non quærenda esse Etyma Græca. Quare, inquit Vossius I. 1. Orig. progr. Idololatr. c. 35. verosimilius videri, Druidarum nomen potius à lingua Celtica peti debere, & proprie à voce Deru, qua quercus significatur. Illud tamen hic non præteream, fuisse inter autores, qui putarunt, Druidarum etymon esse à verbo *Derussim*, sive *Doresim*, quod Hebraicè *Inquirentes* significat, eo quod naturæ operum contemplationi operam dantes, eorum cauſas serio inquirerent. Alii denique Druidas dictos esse à quarto Gallorum Rege, putant, cui nomen Drius, qui præcipuus Druidarum institutor fuit.

Tanti autem viscum, quem plerumque producunt quercus, Druidas æstimasse, & venerasse, dicitur, ut ipsum nonnisi Druidarum Sacerdotum unus, alba ueste indutus, & aurea falce in Religiosi eorum anni initio colligeret; & eum super aureum pannum incidentem exciperet. Deinde Druidæ duos tauros injuges, & albos sacrificabant, ac festos celebres dies statuebant; putantes, nullum donum ipso præstabilius à Diis hominibus concessum esse. Hinc viscum, potu haustum cuncta animalia fecundiora reddere, alexipharmacam vim, atque singulares alias virtutes habere, credebant. Serpentum etiam ovis utebantur ad Procerum gratiam captandam, & propria munia feliciter perficienda; eoque remedio nullum validius arbitrabantur ad sua vota implenda, ut ex Plinio habemus.

Quamvis Cæsar lib. 6. & Cic. 1. de Divinat. omnes Galliæ Sapientes, sub uno Druidarum nomine comprehendenterint; Strabo tamen I. 4. eos triplicis generis esse dixit; cuius verba, pleniorē de his notitiam tradentia, sunt: *Apud universos ferè tria sunt hominum genera, quæ in singulari habentur honore, Bardi, Vates, & Druidæ. Horum Bardi Hymnos canunt, Poëtæque sunt. Vates sacrificant, & naturam rerum contemplantur. Druides præter hanc Philosophiam etiam de moribus disputant. De horum justitia summa omnium est opinio. Itaque & publica iis, & privata judicia committuntur; & aliquando cauſis bellorum disceptandis jam acie congressuros composuerunt. Maxime judicia de cœde iis commissa sunt.*

Et Ammianus Marcellinus non aliter de Gallorum Sapientibus sentiisse videtur, dum ait lib. 15. *Per hæc loca hominibus paulum exultis viguere studia laudabilem doctrinarum, incloata per Bardos, & Eubages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia illustrium virorum facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Eubages vero scrutantes seria, & sublimia naturæ pandere consabuntur. Inter hos Druidæ ingeniis celsiores, ut autoritas*

Pythagoræ decrevit, sodalitiis adstricti consortiis, quætionibus occultarum rerum, altarumque erecti sunt, & respectantes humana, pronunciarunt animas immortales. Lucanus quoque de Bardis sic cecinit lib. 4.

*Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptas,
Laudibus in longum vatis demittimus ævum,
Plurima securi fudisti carmina, Bardi.*

Ex quibus allatis scriptorum testimoniis eruitur, Gallorum Sapientes omnes Philosophiæ partes, Metaphysicam scilicet, Physicam, & Ethicam; Historicam præterea, & Poësim, tanquam Philosophiæ ornamenta, Deorum cultum, & Sacrificiorum ritus exercuisse.

Druideæ, ut Cæsar cit. l. 6. refert, dicebant: *Non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios.* Et Laërt. in Præfat. addit, Druidas obscuræ, ac per sententias philosophari; eosque docere, colendos Deos, nihil malum faciendum, & exorcendam fortitudinem. Unde Galli in præliis animosi. Sic Lucan. l. 1.

- - . - - *Vobis autoribus Umbræ
Non tacitas Erebi sedes, ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alto, longæ canitis si cognita vitæ.*

Et Cic. de Divination. l. cit. *Siquidem & in Gallia Druides sunt, e quibus ipse Divitiacum Hedium, hospitem tuum, laudatoremque cognovi; qui & naturæ rationem, quam Græci Physiologiam appellant, notam esse sibi profitebatur; & partim auguriis, partim conjectura, quæ essent futura, dicebat.* Druidæ itaque non spernenda Philosophiæ dogmata de Astris, Mundo, Natura, & Elementis, Deorumque immortalium potentia tradiderunt. *Quod si Metempsychosim tantopere propugnabant, id propterea faciebant, ut mortis timorem ab hominum animis excutientes, eos redderent fortiores.* Unde sic Lucan.

*Maximus haud urget lethi metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris; animæque capaces
Mortis, & ignavum reddituræ parcere vitæ.*

Ex eodem Cæsare, qui diu universæ Galliæ dominatus est, l. 6. de Bello Gall. exactissima Druidarum instituti, & doctrinæ descriptio habetur. Ait enim, eos cuncta, quæ ad Religionem, & Sacrificia spectabant, administrasse: totam juventutem in disciplinis, propriisque institutis addiscendis consumisse: lites omnes sive de bonis, & hæreditatibus, sive de reis vel morte multandis, vel absolvendis, ipsos definivisse; pœnas, & præmia eos cunctis tribuere solitos. Quod si quis eorum sententiæ acquiescere noluisset, excommunicatus rebus sacris, hominumque consortio, & tanquam impius, & scelestus omni prorsus honore privabatur. Unum Druidis supremum Caput, & Præses erat, quo defuncto succedebat dignior meritis, vel majori suffragiorum numero electus; unde quandoque ad arma quoque ventum est. Semel in anno in sacro quodam loco congregabantur ad lites, & judicia omnia definienda. Ab omni tributo, & vestigali, & ab omni prælio immunes erant. Cæsar's verba loc. cit. sunt: *Illi rebus divinis intersunt; sacrificia publica, & privata procurant; religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentum numerus disciplinæ caussa concurrit; magnoque ii sunt apud eos honore; nam fere de omnibus controversiis publicis, privatisque constituunt; & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditatibus, de finibus controversia est, iidem decernunt: præmia, pœnasque constituunt; si quis autem privatus, aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt &c.*

Notandum præcipue hic est, quod habet idem Cæsar ib. Druidas ad

Deorum fram sedandam, iis vivos homines immolasse: *Pro victimis, inquit, immolant homines, aut se immolaturos uovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari, arbitrantur.* Hinc Romani hanc Druidarum Sectam sævissimam, ejusque Sacrificia impia reputantes, eam funditus evertere conati sunt. Et jam tandem, si Plinio, & Suetonio l. 30. c. 1. in Claud. credendum est, Druidarum Religio temporibus Tiberii, & Claudii Imperatorum prorsus sublata est. Hinc Lucan. l. 1. de ipsis ait:

*Et vos barbaricos ritus, moremque finistrum
Sacrorum, Dryidae, positis repetitis ab antris.
Solis nosse Deos, & Cæli numina Vobis,
Aut solis nescire datur: nemora alta remotis
Incolitis lucis . . .*

Refert idem Cæsar ibid. Druidarum Philosophiam à Britannia in Galliam translatam fuisse: ait enim: *Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur.* Et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illò discendi causa proficiscuntur. Joh. Lud. Viv. de Caussis corrupt. Art. l. 1. p. 5. postquam de Pythagora afferuit, quod nihil scripserit; addit: *Eadem propemodum fuit Druidarum Gallæ Sacerdotum mens.* Et post pauca: *Druidarum nihil est reliqui.* Et quidem libros non habebant, sed omnis eorum scientia quidam memoriae conatus erat; ita ut quandoque versus ad viginti millia memoriter collectos recitarent, quibus veluti historia laudum heroum continebatur, ipsamque posteris per traditionem relinquebant. Astrologiæ etiam, Geometriæ, Geographiæ, ac præ cæteris Politices periti erant; unde publicarum, privatrumque rerum arbitri erant. Quare non immerito eos Laërtius Chaldæorum, Græcorum, Persarum, & Indorum Sapientibus æquiparat: & Diodor. Sicul. eos Theologos fuisse, addit. Dignum tamen, quod hic notetur, est, fuisse inter autores, qui putarunt, Druidas, sive Saronidas Carnutum, sive Autricum Carnutum, Gallicè Chartres antiquissimam, ac celeberrimam Galliæ Urbem, ædificasse, & Christi Jesu ex Virgine Matre nativitatem prædictisse. Quare Priscus, Carnuti pro Romanis Gubernator, Templum huic tam fortunatæ Virginis erexit, cui hæc inscripsit: *Virginis Pariturae.* Vide Sebast. Rovillard Hist. de l'Eglise de Chart. atque alios.

Denique notandum, Diodorum Siculum Græca voce Σαρωνίδας Saronidas appellasse, eo quod Σαρωνίδες, hoc est, quercuum amatores essent.

Divus Augustin. l. 8. Civit. c. 9. Barbaris Philosophis Hispanos quoque adnumerat; sed quoniam nec quæ eorum doctrina, nec quod nomen eis fuerit, nobis adhuc compertum est; illos consultò prætermittimus.

Illud tamen non præteribo, fuisse in Italia Philosophos à loco Tyrrhenos appellatos, quibuscum Pythagoras, ex Porphyrio in ejus vita, aliisque, conversatus dicitur. Eorum disciplinam Cicero, aliique describunt sub Errucorum nomine. Et Strabo refert Musicam, Divinationem, & alia, quæ Romani sunt ex illis mutuati. Sed ab Europæa Barbarica Philosophia ad alteram Europææ Philosophiæ partem, quæ in vastissimis Græciæ provinciis floruit, ad Græcanicam scilicet, quæ huic tertio Historiæ Philosophiæ libro materiam præbet, accedamus.

